AUTHOR:

SCHMIEDEBERG, PAUL

TITLE:

DE ASCONI CODICIBUS

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1905

Master Negative #

92-80467-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CE
Z81

Schmiedeberg, Paul, 1882-
De Asconi codicibus et de Ciceronis scholiis Sangallensibus; dissertatio inauguralis philologica, quam scripsit... Paulus Schmiedeberg... Vratislaviae, apud Grass, 1905.
58 p. facsim. 24 cm.


Thesis, Breslau, 1905.

374522

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







Centimeter



Inches







De Asconi codicibus et de Ciceronis scholiis Sangallensibus.

Dissertatio inauguralis philologica,

quam scripsit et amplissimi philosophorum ordinis consensu et auctoritate ad summos in philosophia honores in universitate litterarum Viadrina Vratislaviensi rite impetrandos

Die XI. mensis Septembris anni MCMV hora 11½

una cum sententiis controversis in aula Leopoldina publice defendet

Paulus Schmiedeberg
Brandenburgensis.

Adversarii erunt:

C. Mosel, cand. phil.
O. Kretschmer, cand. phil.

Vratislaviae,
apud Grass, Barth & Comp. univ. typogr.
MCMV.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
F. Skutsch.

Francisco Skutsch
s.

Pars prior: De codicibus Asconianis.

Caput primum: De librorum Asconianorum origine.

§ 1. De codice Sangallensi.

Ut de Asconi codicibus post egregiam illam Asconi editionem, quam curaverunt Adolphus Kießling et Rudolphus Schoell, aliquid novi proferre posse mihi videar, effectum est duorum librorum manu scriptorum, qui adhuc ignoti aut certe non satis noti erant, collatione, codicis scilicet Matritensis X 81 et Neapolitani V B 20. Eis autem, quae de horum cum reliquis codicibus cognatione disputabo, brevissima quaedam de omnium librorum Asconianorum origine praemitto, qua de re, si quis uberiora quaerat, videat praefationis, quae in editione Berolinensi legitur, paginas XXII—XXXVII.

Reperta sunt Q. Asconi Pediani scripta una cum commentariis illis in orationes Verrinas conscriptis, quos et ipsos ab Asconio confectos esse olim putabant, anno 1416 a Poggio Bracciolini in monasterio Sancti Galli. Qui cum in pervestigandis monasteri locis abditis in codicem pervetustum incidisset continentem Asconi ipsius et personati Asconi commentarios, et ipse descripsit et Bartolomaeum de Montepoliciano Sozomenumque Pistoriensem amicos describere iussit. Quo facto liber ille Sangallensis, cui servando nemo tum operam dedit, rursus e virorum doctorum oculis recessit. Codicis autem tria illa apographa in Italiam missa sunt, ubi cum Sozomeni

et Bartolomaei libri neglegerentur a viris doctis. Poggi ipsius exemplar saepius describebatur. Quo factum est, ut codicum Asconianorum magnum numerum habeamus, qui paucis exceptis — duobus scilicet eis, quos Bartolomaei et Sozomeni libros esse Kießlingius Schoelliusque indicabant,[1]) et codice Parisino 7833[2]) — originem duxerunt e libro illo Poggiano, cuius rei testes sunt aut subscriptiones his libris additae aut varietas lectionum, quae de codicum cognatione nos certiores facit.

§ 2. De codicis Matritensis notitia apud viros doctos.

Editores Berolinenses cum Poggi ipsius apographo, quod non innotuerat, uti non possent in restituendo textu codicis illius Sangallensis, summo studio id egerunt, ut quam plurimorum codicum Poggianorum notitiam sibi pararent, quibus inter se collatis coniectando assequerentur, quid quoque loco Poggius ipse scripsisset. Qua in re valde doluerunt sibi codicis Matritensis X 81 inspiciendi facultatem non fieri, quem ceteris praestare inde concludebant, quod apud Knustium in Pertzi Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde VIII 152 legebant, et amplecti hunc librum praeter Asconi atque Pseudo-Asconi enarrationes Valeri Flacci quoque Argonauticon libros tres et quartum dimidiatum, id est, omnes eos auctores, quos a se in illo monasterio eodem tempore inventos et sua manu transscriptos esse ipse Poggius per epistulam datam a. d. XVII kal. jan. 1417 ad Guarinum

[1]) De his libris (codice scilicet Laurentiano pl. 54, 5 = M et Pistoriensi 37 = S) vide Kießlingium et Schoellium (praef. pag. XXIX—XXXII) et contra disputantem Clarkium (Classical Review 1899 p. 123 adn.). Iudicat enim vir ille doctus librum Laurentianum non ipsius Bartolomaei apographum esse sed viri cuiusdam, qui cum complures auctores in unum volumen conscriberet, Asconium et Pseudo-Asconium ex ipso Bartolomaei apographo descripserit.

[2]) De hoc libro cf. Clarkium: Class. Rev. 1896 p. 301 b.

Veronensem amicum docet,[1]) et instructum esse hac subscriptione:

> *.C. ualeri flacci argonauticon. Hoc fragmentū repertu est in monasterio ſancti galli prope constantiā .XX. milibus passuum una cū parte Q. asconii pediani. deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum. Nos quod potuimus egimus.*
>
> *..Poggius florentinus..*

Ex hac re cum Knustius olim concludere non dubitarit, hunc librum ab ipso Poggio conscriptum esse, Asconi editores Berolinenses codicem iterum inspiciendum esse dixerunt, ut certo signo dignosceretur, utrum ipsius Poggi exemplar esset an liber quidam ex illo descriptus. Itaque quicunque textui Asconi sanando operam navabant, huius libri notitiam sibi parare studebant. Quod primum quidem contigit Alberto Clark, qui ante hos novem annos codicem Matriti excussit. Ac de partis Asconianae fide rettulit in Classical Review 1896 p. 301—305, de Valerianae in Classical Review 1899 p. 119 sqq. Contendit autem in priore disputatione, codicem Matritensem fontem esse omnium Asconi librorum Poggianorum.

Iam postquam Franciscus Skutsch duos abhinc annos a viris bibliothecae Matritensi praepositis impetravit, ut codex ille Vratislaviam mitteretur, ipse Asconi scripta contulit, Pseudo-Asconi et Valeri Flacci lectiones excutere me iussit. Quo facto quamquam assentiendum arbitror eis, quae Clarkius de hoc libro promulgavit, tamen mihi iterum de eodem disputandum esse iudicavi, ideo quod ille Matritensis codicis paucas lectiones cum lectore communicare satis habuit. Itaque ego et accuratiore enarratione docebo, quomodo differat Poggi exemplar ab amicorum apographis, et de Pseudo-Asconi scriptis a Clarkio non collatis nonnulla proferam.

[1]) Cuius epistulae verba in editionis Berolinensis praef. pag. XXVIII afferuntur.

§ 3. Codicis Matritensis forma describitur.

Quaerendum est, quid preti tribuendum sit libro Matritensi, id est, utrum fide habita subscriptioni illi, quam supra exscripsi, Poggi ipsius exemplar esse hunc librum an ipsam hanc subscriptionem una cum commentariis e Poggi exemplari descriptam iudicemus. Est autem codex Matritensis bibliothecae regiae X 81, quem Clarkium secutus Pμ significabo, chartaceus, cuius folia centimetrorum 30,5 × 20,7 continent, id quod Knustius iam docuit, Sigiberti chronicon (fol. 1—17), Asconi Pediani et Pseudo-Asconi commentarios (fol. 27—64), Valeri Flacci Argonauticon versus usque ad IV 317 (fol. 65—94). Neque tamen haec omnia ab initio unum volumen complectebatur: sed cum Asconi atque Valeri Flacci libri ab eadem manu scripti semper inter se cohaeserint, Sigiberti chronicon postea demum his additum est. Quod cum Kießlingius Schoelliusque iam coniecerint adducti ea re, quod Knustius refert, textum Sigiberti plane alio ductu scriptum esse atque reliqua, quae in hoc codice exstant, codice ipso inspecto dubium non esse cognovi. Nam cum omnia folia 26, quae Sigiberti verba praebent, unum fasciculum efficiant, inde ab Asconi initio tricenae binae, id est octies quaternae, paginae inter se cohaerent.[1]) Praeterea chartae, quae Sigiberti chronicon exhibent, signo, quod nos Wasserzeichen dicimus, alio instructae sunt atque Asconi et Valeri Flacci, quae signum serpentis in arcus sinuati praebent. Et ut certissimum argumentum iam proferam, adnotationis cuiusdam, quae in margine foli 42 exstat, prima littera una cum margine abscissa est, ita ut libri, qui e Matritensi fluxerunt, *antis me* legerent, ubi olim scripta erant haec verba: *vincis me*. Discimus igitur ex

[1]) Ceterum cum Sigiberti verba in foli 17 pagina versa deficiant, folia quae sequuntur usque ad fasciculi primi finem, id est usque ad folium 26, scriptura vacant, quod alterum documentum esse iudico, hunc fasciculum olim non cohaesisse cum reliquis.

hac re, codicis Matritensis formam olim maiorem fuisse, quam quae cum Sigiberti libro iungeretur, ut eum circumcidi opus esset.[1])

Videtur libri Matritensis auctor Asconium atque Valerium Flaccum velociter conscripsisse, id quod vel inde cognoscimus, quod parem linearum numerum in singulis libri paginis non servavit. Quo factum est, ut in initio ipsius Asconi duodequadragenas lineas inveniamus, brevi post undequadragenas, cum longe plurimae paginae quadragenas lineas praebeant. Quid quod etiam in Valerio describendo versuum numerum mutavit? ubi, ut exemplum proferam, foli 66 pagina versa 43, sequentis autem foli pagina recta 40 versus exhibet.

Inveniuntur autem in hoc libro multis locis et correcturae et adnotationes marginales. E quibus cum adnotationes marginales nullius fere momenti sint, ut quae sero demum additae esse videantur neque quicquam fere nisi indicem commentari aut versuum contineant, correcturae, quae aut textui ipsi aut margini adiectae sunt, ad cognoscendam codicis cum reliquis libris cognationem multum valent. Quae correcturae cum inter se differant et litterarum ductu et atramenti colore, tantum abest, ut uni manui omnes tribuendae sint, ut tres certe manus correctrices distinguamus. Quarum quam reliquis recentiorem esse docebo, atramento fusco, ita ut valde differat a textus ipsius colore, saepius correxit verba Ciceroniana ab Asconio laudata, verum ea tantum, quae ex orationibus usque ad hunc diem servatis hausta sunt.

[1]) Refutatum iudico his rebus expositis id, quod A. Engelmann in dissertatione Lipsiensi (De Statii silvarum codicibus. 1902 pag. 24) iecerat: „Nam ab initio Chronicon illud et Asconius Valeriusque Flaccus hunc unum codicem X 81 effecisse videntur, cum nemo adhuc eorum, qui Matritensem X 81 contulerunt, statuerit, hos tres libros non ab initio hoc uno codice comprehensos fuisse.“

Praeterea alius quidam corrector in margine hic illic adscripsit coniecturas, quibus textus verba sanarentur additis saepius his signis *c* aut hac voce *credo*, qua re nisus Clarkius comparato Ciceronis epistularum ad Atticum exemplari Laurentiano, in quo eadem haec signa occurrunt, contendit has coniecturas ab ipsius Nicolai Niccoli manu esse profectas.[1] Correcturarum denique longe plurimae scriptae sunt ductu simillimo textus ipsius verbis, ut eas eidem manui tribuendas esse, quae textus verba exaravit, facile credamus.[2]

§ 4. Codices Poggiani enumerantur.

Si quis quaerit de auctoritate subscriptionis illius, quam codici Matritensi additam esse dixi, primum quidem quaestio oritur, num omnium librorum Poggianorum fons sit codex Matritensis. Itaque nunc id quidem mihi agendum erit, ut certis documentis confirmem, codicum omnium Poggianorum lectiones e solo hoc libro originem duxisse. Exstant autem hi libri Poggiani:[3]

1. editio princeps Veneta a. 1477 impressa (Pω), qua codicis loco uti possumus in recensendo Asconi textu. Exscripsit autem huius editionis, cuius exemplum servatur Vratislaviae in bibliotheca urbica, omnes fere lectiones Baiterus in editione Turicensi.

2. codex Neapolitanus V. B. 20 (Pn), quem adhuc ignotum cum primus nuper Berolini excusserim, breviter describam. Invenit autem hunc librum Thomas Stangl a. 1884, cum ipse Neapoli moraretur. Neque tamen conferre potuit vir ille de restituendis scholiis Ciceronis

1) Classical Review 1899 p. 120.

2) Significabo autem omnes eas correcturas, quae ductum ipsius textus verbis similem praebent, $P\mu^1$, eas, quas Clarkius Nicolao tribuit $P\mu^2$, eas denique, quae lemmata corrupta restituunt $P\mu^3$.

3) Facit, ut brevissime de his libris referre possim, quod editores Berolinenses fusius de plerisque egerunt in praef. pag. XXXII—XXXV. Utar autem in significandis his libris isdem litteris quibus K. et S.

optime meritus, sed obiter tantum inspexit. Quo facto paucis verbis de eo rettulit in museo Rhenano (XXXIX p. 580). Putavit autem eis lectionibus quas exscripserat nisus, eum neque codicum Poggianorum in numero ducendum esse neque e Sozomeni aut Bartolomaei libris fluxisse, neque dubitavit, quin quartum codicis Sangallensis apographum invenisset. Qua quidem in re eum erravisse toto codice collato perspexi. Duxit enim originem hic quoque liber e Poggi exemplari, ut infra accuratius docebo.

Continet autem hic liber chartaceus centimetrorum 20,5×16,5 117 folia, quorum dena inter se iuncta sunt, nisi quod fasciculus quintus octo folia complectitur. Totum codicem unus librarius summa cura conscripsit; quem multam operam navasse, ut librum eleganter scriptum praeberet, inde cognoscimus, quod et librorum singulorum titulos litterasque, quas initiales dicimus, rubro colore pinxit et eundem linearum numerum (22) in omnibus paginis esse voluit. Inveniuntur praeterea in hoc libro multae adnotationes marginales et scripturae supra lineam adiectae secundum exemplar verba corrupta restituentes, quas quin alia manus addiderit, dubitari nequit. Leguntur autem Asconi enarrationes in fol. 1—49 r et Pseudo-Asconi commentari in fol. 49 v — 108.[1]

3. codex Gothanus II n. 118 (Pc) membr. 4°, cuius lectionum magnum numerum e Frederici Jacobs collatione Baiterus promulgavit in analectis Asconianis (Ciceronis opera vol. VIII pag. 306 sqq); eundem me rogante hic illic comiter inspexit Ehwaldus v. cl., qui bibliothecae Gothanae praeest.

1) Ne quis miretur, quod dixi, Pseudo-Asconi commentarios deficere in fol. 108, cum Stanglius dixerit Asconi et Pseudo-Asconi commentarios amplecti folia 1—119, erravit is, qui huius codicis folia numeris instruxit, duobus locis ita, ut hunc ordinem praeberet: 1—79; 90—110; 112—119.

4. codex Ambrosianus H 100 (Pd), de quo nihil compertum habeo nisi quod Baiterus in analectis Asconianis praebet.

5. codex Laurentianus pl. 50, 4 (Pb), qui accurate describitur in editionis Asconianae praef. pag. XXXII. Publici iuris fecerunt huius libri lectiones Asconianas viri illi Asconi editores, qui primi contulerunt; excussit praeterea nonnullos locos Skutschius, ita ut hic illic corrigere possim, quae de hoc libro illi falsa protulerunt.

6. codex Lugdunensis Batav. n. 222 (Pl), quem Schoellius tum demum conferre potuit, cum editionis textus prelo iam datus esset. Quo factum est, ut libri *inter Asconi codices primari* paucas lectiones in praefatione adnotaret (p. XXXIII, p. XXXVII adn 2, XLI sq.). Adiecit autem Asconio ipsi accuratam collationem lectionum earum, quae in textu Pseudo-Asconi hic liber praebet. Praeterea eundem Vratislaviam missum et Skutschius et Konrat Ziegler, sodalis meus, meum in usum inspexerunt.

7. codex societatis Columbariae Florentinae B. 7 (Pa), cuius lectiones, quae quidem in ipsius Asconi verbis inveniantur, in editionis Berolinensis adnotatione critica leguntur.

8. codex Riccardianus (Pr), de quo conferatur Hauthalius in Baiteri analectis Asconianis.

9. codex Guelferbytanus n. 88. Gudianus (Pg), quem Schoellius excussit, qui huius libri paucas lectiones in editionis adnotatione critica promulgavit.

Libros Asconianos, qui praeter hos exstant, Kießlingius Schoelliusque in editionis praef. pag. XXXV enumerant, quos omnes Poggianorum familiae adscribendos esse coniectura haud levi contendunt.[1]) De quorum lectionibus

[1]) Errarunt sane in eo quod Parisinos quoque 7832 et 7833 in Poggianorum numero ducunt, quorum alterum (7832) Pb libri gemellum esse, alterum (7833) e Bartolomaei aut Sozomeni apographis descriptum Clarkius, qui solus adhuc inspexit, contendit (cf. Class. Rev. 1896 p. 301 b).

cum nihil compertum habeam, hac in disputatione silebo. Restat igitur, ut doceam librum Matritensem fontem esse eorum, quos his litteris significavi: P ω n c d b l a r.

Caput secundum. Demonstratur omnes libros Poggianos fluxisse e codice Matritensi.

Ea re, quod e magno numero codicum Poggianorum solus Matritensis Valerium Flaccum una cum Asconio continet, docemur eum artius conexum esse cum ipsius Poggi exemplari quam reliquos. Nam cum Poggius in epistula supra laudata ipse testetur se hos auctores *sua manu* transscripsisse, ut ad Leonardum Aretinum in Italiam mitteret, non dubitabimus conicere, hos auctores a Poggio transscriptos unum volumen effecisse. Sequitur igitur, ut credamus, aut omnes libros Poggianos fluxisse e Matritensi, aut originem duxisse et hunc et illos ex eodem codice nunc deperdito; quarum sententiarum quam priore loco protuli, veram esse nunc firmis argumentis demonstrabo.

§ 1. De libris Poggianis dissentientibus a S M et consentientibus cum Pμ[1].

Qua in explicatione primum quidem lectoris animum derigendum puto ad eos locos, ubi omnes libri Poggiani inter se consentiunt, differunt autem a S et M codicibus. Inveniet enim, quicunque his locis Matritensem inspexerit, eum semper consentire cum Poggianis, ita tamen, ut saepe textus a prima manu correctus cum his congruat, cum textus prior idem praebeat, quod S et M libri exhibent. Unde cognoscimus, Pμ codicis correctori deberi eas lectiones, quae in omnes libros Poggianos transierunt.

Eam rem, quam nunc exposui, cum fundamentum esse putem totius disputationis, quam institui, accurate exscriptos hic omnes locos afferam, ubi tali modo codicis

Matritensis lectio de origine discrepantiae exortae inter S M et P libros nos certiores facit:[1])

A. 19, 11[2]): q̄ servilius caepio S. M; ~~que~~ (Q supra) servilius caepio Pμ; Q. servilius caepio P ω n c b a (d. r.)[3])

A. 21, 15 simul S. M; simul (e supra i, e supra u) Pμ n; semel P ω c b a l (d r).

A. 31, 5 milni miisse S; miloni misse M P μ; milo misisse P μ¹ ω n c b a (d).

A. 34, 8 quo S M P μ; quod P μ¹ ω n c b a l d.

A. 34, 20 tutati S M P μ; citati P μ¹ ω n c b a l (d).

A. 41, 24 mitridaticum cum S. M; mithridaticum c̄ñ (vocabulo lineola deleto) P μ; mithridaticum P ω n c b a (d).

A. 42, 2 super caña S; super canam M P μ; super cenam P μ¹ ω n c b a l (d).

A. 52, 10 totius S M P μ; totus P μ¹ ω n c b a l (d).

A. 53, 4 respondi .... q̄ S; respondi atque M; respondis .... que P μ; respondisset atque P μ¹ ω n b a l.

A. 58, 6 ultra S M P μ; altera P μ¹ ω n c b a l;[4])

A. 59, 8 prohibebant S M; prohibebant (per supra) Pμ; perhibebant P ω n c a l; perprohibebant Pb.

A. 66, 11 accessisse S M Pμ; accessisset Pμ¹ ω n c b a l.

---

1) Nonnulla huius rei exempla Clarkium iam protulisse in Classical Review 1896 p. 301 sqq. dixi supra (p. 7).

2) In Asconio (A) apponam numerum paginarum et linearum editionis Berolinensis, in Pseudo-Asconio (Ps) Turicensis.

3) Apparet hoc loco omnes P codices scribere Q, id quod de P ω n c b a certo scio, de P d r ex silentio, ut nos dicere solemus, concludere licet — neque enim Baiterus monuit eos hoc loco dissentire ab editione principe — qua de causa eos uncis inclusi. Reliquorum autem, Leidensis igitur et Guelferbytani, lectiones hoc loco exscriptae non sunt.

4) Hunc locum reliquis graviorem esse iudico; in ipso enim verborum contextu haec vox *ultra* ita correcta est, ut manus correctrix et lineola addita *u* in *a* mutaret et supra lineam hanc litteram *e* adderet. Apparet igitur eos librarios, qui Matritensem describebant, hoc loco lectionem priorem non iam legere potuisse, ut vel hac una lectione nisi diiudicare possimus, qui codices e Matritensi derivati sint.

A. 70, 27 senatores S; sentatores M; senatores (as, t supra) Pμ; assentatores P ω n b a l; essentatores Pc.

A. 74, 26 trucidari S M P μ; trucidavit P μ¹ ω n c b a l.

A. 79, 26 uolcacio S M P μ; uolcacius P μ¹ ω n c b a l.

A. 82, 26 socium S M P μ; socio P μ¹ ω n c b a l.

Addendos puto duos hos locos, ubi originem lectionum, quas Poggi proprias esse adhuc iudicavimus, cognoscimus e codicis Matritensis textu, quem Poggiani male interpretati sunt: **A. 30, 6** ubi cum S et M libri nullam lacunam praebeant, librorum Poggianorum maior pars hiatum significat (P ω b d r; de Lugdunensi hoc loco nil scio). In Pμ versus spatium inde a medio librarius scriptura vacuum reliquit, non quo hiatum significaret, sed quod nova enarrationis pars hoc loco inciperet. Contra in **A. 3, 9**, ubi Pμ codicis auctor, ut verba excidisse significaret, in fine versus lacunam trium fere litterarum reliquit, codices Poggiani, quorum librarii lacunam significatam esse non perspicerent, nullum spatium reliquerunt.

§ 2. De reliquis locis, ubi codices Poggiani consentiunt cum Matritensis correcturis.

Codices Asconiani, quibus collatis utimur, saepius ita inter se differunt, ut aut S cum Pμ et M cum Pμ¹, aut S cum Pμ¹ et M cum Pμ consentiant, libri Poggiani autem Pμ codicis lectionem correctam recipiant. Quos locos si nunc proferam, nemo iam putabit fluxisse codices Poggianos e S aut M libris, sed omnes concedent, si modo respicient ea, quae in huius capitis § 1 exposui, his quoque locis eos debere suam lectionem libro Matritensi correcturas iam passo, ut hi quoque valeant ad firmandam meam de codicum cognatione sententiam. Quarum lectionum e numero exempli gratia adnotabo, in A. 56, 16; 11, 2; 76, 18, ubi Pμ¹ cum S et P codicibus consentit de his lectionibus *pactione, paulum, conlatione,* Pμ

cum M exhibere haec verba: *concordia, palam, conlatine.* Simili modo quas lectiones in A. 15, 16; 46, 12; 75, 21; 78, 26 M praebere editores Berolinenses adnotant, eae in codice Matritensi quoque fuerunt nondum correcto. Multo saepius autem libri Matritensis correctorem eas lectiones effecisse videmus, quas in Bartolomaei libro legimus. Sic, ut exempla afferam, ea verba, quae in A. 5, 7 (*ut*); 19, 27; 39, 7 a Sozomeno omittuntur, in Matritensi a correctore demum adduntur, atque eae lectiones in Pμ codicis textu priore inveniuntur, quas S libri proprias esse editores Berolinenses adnotant in A: 9, 23; 16, 17; 19, 27 (*uapius* Pμ; *uarius* Pμ^1); 21, 14; 22, 11; 23, 25 (*posset* Pμ; *possidet* Pμ^1)[1]; 33, 12; 34, 6; 66, 10; 68, 1; 71, 20; 74, 6; 74, 19; 74, 21; 75, 21 (*despexit* Pμ; *respexit* Pμ^1); 81, 15. Ex hac autem re si quis concludat, codicis Matritensis correctorem his locis e Bartolomaei libro sua hausisse, haud scio an erret. Immo videtur olim Bartolomaeus correxisse sua verba secundum librum Matritensem. Nam in A. 41, 5, ubi hanc habemus scripturae varietatem: *apud clodium* S Pμ; *a p. clodio* Pμ^1 in margine (qua in correctura haec littera *a* nunc operta est schedula quadam postea agglutinata); *p. clodio* M, unde M libri lectio orta sit, nescio nisi e codice Matritensi bis mutationibus affecto.[2] Discimus igitur ex hac Pμ lectionum enarratione, permultis locis libros Poggianos debere suas lectiones solis libri Matritensis correcturis.

[1] In editionis Berolinensis adnotatione critica interrogationis signum huic Sozomeni lectioni adscriptum est. Apparet igitur editorem postea ipsum suae collationi esse diffisum, quem recte contulisse Matritensis libri lectio prior docet.

[2] Quae res docet Clarkium iure dubitare, an non Bartolomaei ipsius liber sit codex Laurentianus plut. 54, 5, sed e Bartolomaei exemplari descriptus. Nam cum in M et hoc loco et reliquis omnibus, ubi cum Pμ^1 consentit, prima iam manus has lectiones praebeat, id quod Skutschius me docuit codice ipso inspecto, non ipsum hunc codicem, sed eum, unde descriptus est, secundum librum Matritensem correctum esse apparet.

§ 3. De varietate lectionum, quae in libris Poggianis invenitur.

Iam quaeritur, cur codices Poggiani quamquam ex uno illo archetypo Matritensi derivati tamen hic illic inter se dissentiant. Comparatione instituta hoc ideo factum esse cognoscimus, quod alii alias libri Matritensis correcturas aut receperunt aut reiecerunt, cuius rei haec exempla proferam:[1]

Usus est libri Matritensis auctor, ubi verborum ordinem eum, quem initio posuerat, invertendum esse ducebat, eo signo, ut binas lineolas verbis superscriberet; quas cum saepius non animadverterent, qui librum describebant, hae lectiones ortae sunt, quas nunc afferam:

A. 22, 28 Claudiae familiae Pμ; familiae Claudiae P ω n ba; Claudiae familiae P c d r.

Ps. 117, 2 confiteri aut Pμ; aut confiteri Pω n; confiteri aut Pl.

Ps. 209, 21 voluntatem testatoris Pμ; testatoris voluntatem Pω l; voluntatem testatoris Pn.

Similia occurrunt his locis, ubi quod libri manu scripti de verborum ordine discrepant, id ortum est e Pμ libri correcturis eius generis, quod modo descripsi. A. 2, 1; 48, 15 (*alieni aeris* Pω; cf. Baiterum in edit. Turic.); 77, 7 (*auxilii esse* Pω n); Ps. 127, 16; 141, 5; 159, 2; 196, 12.

[1] Adnotabo hoc loco P l a r g codices reliquis recentiores esse ideo, quod receperunt omnes Pμ^3 correcturas, quas P ω n c b d nondum noverunt. Quod ut demonstrem, scripturae varietatem tribus his locis exscribam: A 5, 2 *perduellio* . . . . . . S M P μ ω n c b d; *perduellionis reo* P μ^3 l a r g; A 6, 13 *sic ille (sicilie S) desicco si cum (siccum P ω n c)* S M P μ ω n c b d; *sed ille designatus consul cum* P μ^3 l a r g^2; A 12, 25 *so ornamentum* S M P μ ω n c b d; *o amentem* Pμ^3 (sic scriptum: *so ornamentum*); *o amentem* P l g; *amentem* P a r; codicis Neapolitani auctor hoc loco coniectura textum corruptum restituere conatus scripsit *soranos*. Praebere autem omnibus his locis libri Leidensis primam iam manum textum correctum cum ex K. S. praef. pag. XXXIII adn. 2 concludi potest, tum Zieglerus codice iterum collato me docuit.

Aliis locis discrepantiae codicum Poggianorum inde ortae sunt, quod alii librarii correctoris mentem aliter interpretabantur. Quo e numero selecta quaedam exempla hic conscribam:

In **A. 56, 16** Pμ libri auctor tota enuntiatione omissa haec scripsit: *facta* ~~*concordia*~~$^{\textit{pactione}}$ <u>*ut*</u> *neque Metellus,* quam lectionem ut corrigeret, ipse iam librarius in margine haec verba addidit: ⁚ *arbitrium de libertate peregẽ͂r   sed tam̃ ille in libertatem de quo.* Relicta fuit in codice Sangallensi, ut ex S et M libris cognoscimus, lacuna post hanc vocem *quo*; quam neglegi ab omnibus Poggianis non iam mirabimur inspecta hac libri Matritensis lectione quam protuli. Discrepant autem inter se libri Poggiani de omittenda aut retinenda hac voce *ut*, quam $P\mu^{1}$ deleverat, ut tales apud eos inveniamus lectiones: *facta pactione arbitrium de libertate peregere . . . . . sed tamen ille in libertatem de quo ut neque Metellus* Pω: *facta partione ut arbitrium* et quae sequuntur Pb; omittitur autem *ut* omnino in P n a l.

Alia deinde exempla eandem rem explicantia haec sunt:

A. 25, 26 etatis ·· capue Pμ; ·· ftatue $P\mu^{1}$ (in margine): aetatis capuae P n c l; aetatis statuae P ω n^{1} b l^{1} r g; aetatis capuae (capite Pd) statuae P d a.

A. 35, 27 postero die, ·· qui fuit iudicissimus Pμ; iudicibus iudici primus $P\mu^{1}$ (in margine); — postero die, qui fuit P ω n; postero die qui fuit iudicissimus P d l; postero die qui fuit iudicii summus Pc (e coniectura collato A. 16, 5: Summus iudici dies fuit); postero die iudicibus qui fuit iudicii primus P b; postero die qui fuit iudicibus iudici primus P a; postero die qui fuit iudicii novissimus Pg (e coniectura).

A. 46, 7 $\overset{\text{si}}{\text{unum}}$ tum excuti priusquam in senatum intraret ··priusquam iusserant Pμ; ··clodium $P\mu^{1}$ (in margine); unum tum excuti priusquam in senatum intraret priusquam iusserant (iusserat Pω) P ω n c d l; $\overset{\text{sinum}}{\text{unum}}$ tum excuti priusquam in senatum intraret clodium priusquam iusserant P b; $\overset{\text{sinum}}{\text{unum}}$ tum excuti priusquam in senatum intraret clodium iusserant P a n^{1}.

A. 1, 15 quare ⁝ vocatus Pμ; ⁝ ante $P\mu^{1}$ (in margine); quare vocatus Pω c; qua revocatus Pba; quare ante vocatus P n l.

A. 52, 8 solebant Pμ ω n; assueverant $P\mu^{1}$ (in margine) b a d n^{1}.

Ps. 99, 10 infantibus P μ a l; infamibus $P\mu^{1}$ b l^{1}n (in rasura).

Ps. 109, 20 $\overset{\text{c}}{\text{ẹum}}$ Pμ; eum Pω: cum P n b l.

Ps. 136, 4 $\overset{\text{tu}}{\text{destinatam}}$ P μ l; destinatam P ω n; destitutam Pb.

Ps. 195, 9 uetus $\overset{\text{u}}{\text{timoris}}$ Pμ; uetus timoris Pω; uetusti mors (moris manus correctrix) Pn; uetus tumoris Pl.

Ps. 209, 3 $\overset{\text{li}}{\text{conciatores}}$ Pμ; conciatores Pω; conciliatores P n l.

De singulis autem libris si ago, facile demonstrari potest, praebere suos quemque codicem errores e libri Matritensis correcturis perperam intellectis ortos (id quod certissimum documentum iudico descriptos esse hos codices e Matritensi) neque ullam in omnibus his libris occurrere lectionem, quin e Pμ fluxerit. Quod ut omnibus persuadeam, nunc singulos libros, qui quidem gravioris momenti sint, in examen vocabo:

Quod in A. 39,10 hanc libri Matritensis lectionem habemus: *$\overset{.Q.}{\text{que}}$ Hortensium dixisse,* quid corrector efficere voluerit, recte cognoverunt P b a, qui haec exhibent: *Q. Hortensium dixisse,* cum male hanc correcturam interpretarentur Pn et ω codicum auctores, quorum haec est

lectio: *quae Q. Hortensium dixisse.* Praeterea libri Neapolitani auctor his lectionibus Ps. 161,9 *laudandis*, 168,8 *que questoris*, 200,5 *thesensarum* Pμ correctoris mentem non assecutus est. Qui cum haec scriberet

de questoris

laudantis. que pastoris

ensa

thesaurum has voces intellegi voluit: *laudandi, questoris, thensarum.*

Quod ad Pb codicem, hic quoque saepius corrupit libri Matritensis correcturas, cum aut non intellegeret, quo e genere est, quod in A. 83,20 exhibet *de illo*, ubi in Pμ haec vox *illo* correcta est in *illud* (*illo* Pμ), aut ipse de suo mutaret verba correcta, quae verborum nexui apta non esse cognosceret, ut in A. 1,17 *in senatu* scribit, cum in Pμ supra lineam haec legamus adiecta: *in senatū.* [1]) E libro Leidensi, ne longior sim, hunc unum locum exscribam, qui satis docet illum descriptum esse e Matritensi:

m i meniam

Ps. 121,2: *columnā aeneā* Pμ; *columnam enameniam* Pl; Apparet Pμ libri correctorem efficere voluisse hanc lectionem: *columnam meniam.* Qua de causa expunctis his litteris *a* et *e* superscripsit *m* et *i*. Praeterea vero totum vocabulum *meniam* supra lineam addidit. Inde quomodo Leidensis libri lectio stultissima orta sit, facile cognoscitur. In Pa codice quin haec vox *henobarbus* (A. 33,25) orta sit e libri

b

Matritensis correctura *aenobarbus*, nemo dubitabit. Praeterea in hoc quoque libro pariter atque in Pb legimus: A. 1,17 *in senatu.*

Quibus expositis sequitur, ut lectorem doceam, in omnibus libris Poggianis nullam inveniri lectionem, quin e codice Matritensi fluxerit, id quod perfacile demonstrari posse iudico. Nam quod editio princeps tribus his

---

1) Ne quis offendat in eo, quod nullus codex eorum, quos Kießlingius Schoelliusque contulerunt, hoc loco Matritensis lectionem correctam receperit, liceat adnotare eam inveniri et in Ambrosiano et in Riccardiano, ut Baiteri analecta Asconiana docent.

locis A. 44,24; 4,5; 32,17 cum S aut M codicibus potius quam cum Pμ consentit, id nihil ad rem facit; casui enim attribuere nemo dubitabit, quod loco primum laudato et Sozomeni exemplar et Pω *cum* praebet, ubi *eum* legitur in reliquis libris; neque e Sozomeni libro ortam iudicabit quisquam hanc lectionem *consedent*, ubi *consederit* in Matritensi scriptum legitur, cum saepissime in libris saeculo XV scriptis inter se commutentur hae litterae *ri* et *n*.[1]) Tertio denique loco quod Pω *productos* exhibet, ubi in reliquis Poggianis legimus *perductos*, id non S codici deberi inde concludo, quod in eiusdem paginae linea 20, ubi eadem hac voce Asconius utitur, apud Pω iterum legimus *produxerant*, cum in S codice hoc loco scriptum sit *perduxerant*.

Postquam de hoc libro egi, cum in codice Neapolitano cum editione principe artissime cognato nullum locum invenerim, quo quis nisus infringere possit meam de librorum Poggianorum origine sententiam,[2]) nunc

---

1) Cuius commutationis aliud exemplum si quaeras, videas Pl codicis hanc lectionem *potens* (Ps. 117, 9), ubi in Pμ *poteris* legitur.

2) Nam quod Stanglius dicit (mus. Rhen. XXXIX p. 580), eum non omittere ea verba, quae e magno numero codicum Asconianorum, qui quidem adhuc collati sint, in solo Sozomeni apographo leguntur (Ps. 136, 17 *et proximos consularibus* etc. cf. K. S. appendix critica), plura igitur exhibere quam Matritensem ipsum, codice diligenter inspecto errare virum doctum cognovi; legitur enim in Pn quoque nil amplius quam *fuisse praetorem urbanum et alterum Metellum.* Fuit autem codicis Neapolitani librarius, ut de hoc libro adhuc plane ignoto nonnulla addam, neglegentissimus in describendo. Sic enim factum est, ut multis locis singula verba, saepe etiam totas enuntiationes omitteret et saepissime verba tradita mutaret. Nam si inspicimus has lectiones, quas exempli gratia afferam: A. 7, 18 fecere (fece Pμ); 62, 2 damni (dandi Pμ); 66, 11 extimat (extinct Pμ); (Ps. 112, 1 tempestati (tentasti Pμ); 139, 16 compellerentur (complerentur Pμ); 207, 18 salutant (scilicet Pμ), alias, facile cognoscimus, eum non praebere coniecturas, quibus vir doctus sanare studuerit scholiorum verba corrupta, sed haec vitia inde orta esse, quod is, qui codicem exaravit, indiligenter describebat.

de Pb libro pauca addam. Quem quod in A. 18, 21 et 70, 12 mirum in modum consentire cum Sozomeni libro ex editionis Asconianae adnotatione critica concludere possis, sciendum est Schoellium his locis Laurentiani scripturas non recte exscripsisse. Docuit enim me Skutschius, qui nuper Florentiae hos locos contulit, legi in hoc quoque libro et *collegium* et *hominem*. Quod autem in A. 42, 5 *repente* scriptum est, Sozomeni ergo scriptura occurrit, ubi reliqui praebent *repetente*, id casu factum esse apparet.[1]) Itaque haec sola lectio restat, de cuius origine forsitan dubitemus: A. 20, 14 *impulit* M P μ ω n a b[1]; *intulit* S Pb prior; quam e Sozomeni apographo haustam esse cum non adducar, ut credam, eodem modo hoc loco in describendis exemplaribus erravisse iudico et Sozomenum et Pb libri auctorem.

Quod ad Pl codicem, ne in hoc quidem libro occurrunt lectiones, quae a Pμ codice dissentiant, consentiant autem cum S aut M libris, nisi paucissimae. Multis enim locis, ubi si Schoelli appendici fidem haberemus, talem dissensum inter Pμ et Pl exstare iudicandum esset, Asconi editorem in exscribenda libri Leidensis lectione erravisse Skutschius me docuit. Quos locos, ne cui dubitationem iniciant de huius libri origine, hic proferam:

Ps. 97, 4 Sacerdote praetore S; Sacerdoti praetori P μ ω n b et Pl.

Ps. 98, 7 quaestore Verris eiusdem S M[2]); quaestor Verris et eiusdem P μ ω n b et Pl.

Ps. 108, 7 uitalis S; uita uis P μ ω n b et Pl.

---

[1]) In errore sunt editores Berolinenses, quod dicunt in editione principe quoque legi hoc loco *repente*, quam praebere *repetente* et Baiterus adnotat et editione collata ipse cognovi.

[2]) Teste Skutschio, qui Bartolomaei quoque librum me rogante Florentiae inspexit.

Ps. 110, 8 tuum phalemque S; triumphalemque P μ ω n b et Pl.

Ps. 112, 4 multa.... crimina S; multa esse crimina P μ ω n et Pl.

Ps. 129, 11 compensationum S; compensationem P μ ω n et Pl.

Ps. 138, 20 animadvertitur etiam sensibus S; animadvertitur sensibus P μ ω n et Pl.

Ps. 154, 12 accusatione S; actione P μ ω n et Pl.

Ps. 159, 17 luces altera S luceres altera P μ ω n et Pl.

Ps. 165, 23 inquirendi inquirendi S; inquirendi (semel) P μ ω n et Pl.

Ps. 167, 9 providentia S; provincia P μ ω n et Pl.

Ps. 173, 12 antiquissimum S; antiquum Pμωn et Pl.

Ps. 188, 12 iuriditione S; iuris dictione P μ ω n et Pl.

Ergo hae solae lectiones consentientes cum S aut M et dissentientes a Matritensi in Leidensi inveniuntur, quas e describentis errore ortas neque ex illis apographis translatas esse apparet:

A. 10, 5 ac ne tu quidem S Pl; ac ne tum quidem P μ ω n b a M.

A. 29, 26 delectus S Pln; dilectus P μ ω b a M.

Ps. 152, 10 sua S Pl; suã P μ; suam P ω n.

Ps. 180, 8 uindicari S Pln; uindicare P μ ω M.

A. 36, 17 eaque tota oratio M Pl; eoque tota oratio S P μ ω n b a l[1].

A. 52, 25 exemplum M Pl; exemptum S P μ ω n b a.

In Pa denique codice hanc unam inveni lectionem, quae Bartolomaei textum praebet, quod in A 4, 10 legimus *enim* ubi in Pμ *ei* scriptum est, quam lectionem e librari errore ortam esse concedet, quicunque consideraverit, illis temporibus hanc vocem *enim* semper fere per compendium sic scriptam fuisse: *en̄*.

Caput tertium. De Poggi exemplari Asconiano.

Prioribus huius disputationis capitibus cum demonstratum sit, omnes libros Poggianos derivatos esse e Matritensi, nunc alteram quaestionem aggrediar, utrum Pμ ipsius Poggi codex sit an liber quidam ex illo descriptus. Quam ut tractare possim, primum quidem pauca praemittenda sunt

§ 1. de Valeri Flacci libris manu scriptis.

Versus Valerianos eos, qui in libro Matritensi leguntur, cum eadem manus scripserit, quae Asconi atque Pseudo-Asconi opera, de ea quaestione, quam proposui, certum iudicium facere non possumus nisi ubi eos Valeri Flacci libros, quos e Sangallensi apographo Poggiano constat derivatos esse, cum codice Matritensi comparaverimus. Qua de re ne longior sim cum non habeam, quae addam ei disputatiunculae, quam Clarkius de horum librorum cognatione edidit (Classical Review 1899 p. 121 sqq), breviter de huius viri doctissimi sententia referam:

Exstant quattuor codices e familia Sangallensium librorum, qui Valeri Flacci hos versus I 1—IV 317 continent, quorum duos hos libros, Vaticanum 1613 et 1614, quos e Matritensi descriptos esse facile demonstrari possit, Poggianae familiae attribuendos esse Clarkius docet. Reliquos autem, Oxoniensem et Ottobonianum, cum nullo modo cum libro Matritensi cohaereant, ita e codice illo deperdito ortos esse iudicat vir ille doctus, ut praebeant textum alterius illorum Poggi amicorum, quos cum Asconi verba depinxissent, hunc quoque auctorem antiquum eodem tempore repertum descripsisse veri simillimum esse contendit.[1])

[1]) E re esse iudico addere aliud quoddam argumentum eis argumentis, quibus nisus Clarkius Ottobonianum codicem ab illis Vaticanis seiunxit:

Neminem iam dubitare arbitror, quin subscriptio illa codicis Matritensis, quam in pag. 7 attuli, licet fieri possit, ut non ab ipso Poggio scripta sit, ipsa Poggi verba referat. Quam subscriptionem Vaticanum alterum ad verbum descripsisse e Thilonis praefatione ad Valerium Flaccum pag. LXVII comperimus, cum codices Asconiani paucis mutationibus affectam in fine commentariorum adscripserint (vide subscriptiones P c a ω librorum apud K. S. pag. XXIX adn. 3, et pag. XXXV adn. 3). Quibus cum subscriptionibus conferamus hanc, quae in Ottoboniano teste Thilone (praef. pag. LXVI) legitur: ***Finis eius quod invenitur argonauticon et quia exemplar in multis carminibus mendosum erat et scriptum est festine opus alio tempore corrigendum. In Sancto Gallo MCCCCXXVI Julii XVI.*** Quid? nonne apparet hanc subscriptionem nullo modo cognatam esse cum eis, quae in libris Poggianis occurrunt? Nonne eius verba multo propius accedunt ad hanc, quam in Bartholomaei apographo invenimus? (cf. K. S. pag. XXIX): ***Finis argumentorum quarundam orationum Ciceronis eorum, quae invenimus in Monasterio sancti Galli. quae licet imperfecta et in compluribus locis corrupta esse uideantur, non mediocrem tamen bene studentibus poterunt utilitatem afferre. Die XXV julii MCCCCXVI. B. de monte policiano.*** Ipsa igitur subscriptio, quae in codice Ottoboniano invenitur, Clarki coniecturae favet, qui e Bartolomaei apographo ortum esse putat librum illum Ottobonianum. Neque a falsario profectam esse putabimus Ottoboniani subscriptionem, id quod Thilo olim coniecit (praef. ad Val. Flacc. p. LXVI). Valeri Flacci enim hic editor quamquam factum existimabat festinatione scribentis, ut in anni nota error inveniatur — scriptum enim est XXVI loco huius numeri XVI —, tamen credibile non esse dicebat, haec scripta anni 1416 mense iulio iam esse descripta; sed fugit eum M libri subscriptio, quam Baiterus publici iuris iam fecerat in analectis Asconianis p. 309. Adnotandum autem est, Bartolomaeum, quantum ex his subscriptionibus concludimus, Valerium Flaccum priore tempore descripsisse quam Asconi commentarios. — Adducor autem ea similitudine, quae inter M libri et Ottoboniani subscriptiones intercedit, ut Clarkio non credam Ottobonianum e libro Oxoniensi ortum esse (Class. Rev. 1899 p. 123b). Unde enim Ottoboniani auctor hanc subscriptionem sumeret, cum in Oxoniensi, ut idem Clarkius docet, nihil subscriptum inveniatur?

Qua de causa cum libros eos, quos Poggianorum in numero ducendos esse noverimus, e Matritensi fluxisse Clarkius demonstraverit, Valeri Flacci libri, licet documento non sint, Pμ codicem Poggi ipsius exemplar esse, certe non prohibent, quominus ipsius Poggi apographum manibus nos tenere dicamus.

§ 2. Quibus argumentis adducamur, ut codicem Matritensem ab ipso Poggio scriptum esse iudicemus.

Demonstravimus adhuc per cognationes codicum et Asconianorum et Valerianorum nihil obstare, quominus ipsum Poggium libri Matritensis auctorem esse ducamus. Iam igitur via patet ad disceptandam eam quaestionem, quam totius disputationis finem esse supra dixi. Cui cum lucem afferre fortasse possemus, si aut liber aut epistula Poggi manu scripta praesto esset, et Clarkius ipse et Mauritius Krohn, qui cum in disceptanda Stati codicum dignitate et ipse de codice quodam Poggiano ageret, libri Matritensis X 81 originem ut adumbraret, operam dedit, libros sibi parare studuerunt, quos ab ipso Poggio scriptos esse negari non posset. Atque inspexit Clarkius tres hos Laurentianos plut. 48, 22; 50, 31; 67, 15, quos ab ipso Poggio exaratos esse summa fiducia asseverat, et librum Berolinensem (Hamiltonensem 166) Ciceronis epistulas ad Atticum scriptas continentem, quem Poggi ipsius opus esse semper creditum est. Quibus inter se collatis vir ille doctus dubitandum non esse dicit (Classical Review 1899 p. 123 sqq), quin ab ipso Poggio scriptum sit, quidquid in Berolinensi legatur, id est, et ipsius textus verba et scripturae supra lineam atque in margine additae. [1])

[1]) Librum Berolinensem comitate viri illius clarissimi et de Poggi notitia apud nostrae aetatis homines optime meriti, qui bibliothecis Berolinensibus praeest, Vratislaviam missum accurate pertractavi. In cuius subscriptionis his verbis *scripsit Poggius anno domini* hoc nomen *Poggius* erasum est, ita tamen, ut perfacile legi possit, unde haud scio an suspicio oriatur, non ab ipso Poggio sed iussu ipsius a scriba quodam hunc librum confectum esse. Sed utut res se habet, id certe nemo negabit, libri Berolinensis correcturas ab ipsius Poggi manu esse profectas. (Attulit autem ad verbum huius libri subscriptionem O. E. Schmidt in „die handschriftliche Überlieferung der Briefe Ciceros etc.“ Abhandlungen der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften. phil.-histor. Klasse. X 1888 p. 354.)

Krohnius autem, cui Laurentianos libros inspiciendi facultas data non erat, librum Berolinensem conferens cum ipso Matritensi sibi persuasit ab eodem viro scriptum esse codicis Matritensis textum, qui libri Berolinensis correcturas et lectiones marginales exaravit. Qua re nisus vir ille doctus extra omnem dubitationem esse dicit, quin ipsi Poggio liber Matritensis tribuendus sit. Neque enim huic rei obstare, quod codicis Matritensis litterae valde differant ab eis, quae in ipsius Berolinensis textu occurrant. Scripsisse enim Poggium Matritensis verba velociter, cum in conficiendo libro Ciceronis epistulas continente *manu bellissima* usus sit. Neque tamen hac in re Clarkio plane persuasit. Qui cum libros ab ipso Poggio scriptos, Laurentianos scilicet et Berolinensem, non eodem tempore viderit, quo Matritensem, Krohnio assentiri dubitat neque prius hanc quaestionem prorsus solvi posse dicit, quam certum exemplum libri cuiusdam a Poggio manu veloci scripti repertum sit. Contendit enim libri Berolinensis notas marginales tale exemplum non praebere, quod pleraeque earum lenta manu adiectae esse videantur.

Vides igitur de hac re adhuc sub iudice litem esse; putavi autem me nonnihil allaturum esse ad diiudicandam hanc quaestionem, si omnibus viris philologis copiam facerem comparandi librorum Matritensis et Berolinensis litteras. Qua de causa animum induxi addere huic disputationi duas tabulas, quae horum librorum imagines praebent.[1]) Quas si inter se conferent viri philologi, libenter puto sequentur Krohni sententiam concedentque eidem auctori tribuenda esse et libri Berolinensis correcturas et codicis Matritensis ipsum verborum contextum. Qua de causa cum Clarkius asseveret, correcturas illas ab ipso Poggio scriptas esse, non iam dubito, quin liber

[1]) Tabula I: libri Matrit. fol. 43^r = Asconius p. 81; tabula II: libri Berolinensis fol. 40^r = Cicero ad Atticum II 3. Fecimus autem consulto, ut pari fere litterarum magnitudine exprimerentur in his tabulis et libri Ber. correcturae et Pμ codicis textus.

Matritensis ipsius Poggi exemplar sit illud, quod in monasterio Sancti Galli sua manu se confecisse in epistula supra laudata ipse testatur.[1]

§ 3. De fide apographi Poggiani.

Soluta igitur quaestione de auctore codicis Matritensis, quoad solvi potest, e re esse iudico exponere nonnulla de fide codicum Asconianorum. Qua de re editores Berolinenses in praefationis pag. XXX haec proferunt. Optimam codicis Sangallensis imaginem dicunt praebere Sozomeni librum, cui longo intervallo cedat Bartolomaei apographum, longiore Poggi exemplar. Impugnavit autem acriter hanc sententiam Thomas Stangl in museo Rhenano (XXXIX p. 570), qui ut longe optime a Poggio Asconi textum servatum dicit, sic saepius de suo mutasse Sozomenum, virum ad corrigenda scripta Romana minime aptum, contendit. At si quaeritur, quid, postquam Matritensis innotuit, iudicandum sit de librorum Asconianorum fide, haud scio an aberrare a vero dicamus et editores Berolinenses et Stanglium. Neque enim cum illis Sozomenum semper servasse arbitrabimur, quae in codice Sangallensi invenerat, cum Stanglius docuerit, virum illum Pistoriensem triginta locis verba tradita non tam descripsisse quam

1) Brevi adnotatione lectorem docendum puto, qua re potissimum differat Poggi manus velox a bellissima. Inveniet igitur, quicunque tabulas huic disputationi additas accuratius inspexerit, Asconi codicem et Berolinensis libri correcturas non consentire cum textu codicis Ciceroniani de his litteris *a, d, s* finali. Neque tamen hae discrepantiae efficiunt, ut Poggio Pμ codicem abrogemus. Concedent enim omnes, harum litterarum eas formas, quas in Pμ et in Berolinensis libri correcturis legimus, velociter scribenti apte cadere, cum libro eleganter scribendo non conveniant. Praeterea in adhibendis his litteris Poggium sibi non constantem fuisse inde cognoscimus, quod in hac voce *damnatio*, quae in libro Berolinensi lineae paenultimae superscripta legitur, et *d* littera et *a* prior sic scripta est, ut in eiusdem libri textu invenimus.

emendasse,[1] neque cum Stanglio contendemus Poggium de suo non mutasse textum traditum, quem correcturis afficientem ea, quae scripta inveniebat, tribus certe locis deprehendimus. Scriptum enim fuisse his locis A. 61, 18; 61, 27; 62, 7 in libro Sangallensi *consensu(m)*, cum ex editione Berolinensi appareat, Poggi sagacitati debetur, quod in Pμ restitutum est: *consensu* (s superscr.), *consessu, consessum*. Futtili autem coniectura Poggius textum corrupit in Ps. 121, 2, ubi ea scholia, quibus de columna Maenia agitur, hoc ordine leguntur in codicibus: 121, 1—3 (*solent*); 120, 16—21; 121, 3—4. Qua de causa cum priore loco Poggio describenda erat adnotatio illa de reis ad columnam Maeniam punitis, offendens in hac voce *Maenia* scribere non dubitavit *columnam aeneam*. Deinde vero cum describeret ea verba, quibus explicatur, unde columna Maenia nomen duxerit, errorem ipse perspiciens hanc lectionem *columnam aeneam* eis correcturis affecit, de quibus in huius disputationis pag. 20 egi. De tertio autem loco, ubi Poggium tacite verba tradita mutasse cognoscimus, infra (pag. 53) verba faciam.

1) Dolendum est inveniri apud Stanglium in laudandis his triginta locis e Pseudo-Asconio exemptis tot menda, ut vix intellegi possit, quas lectiones significare voluerit. Qua de causa iterum hos numeros afferam correctos eodem ordine, quo in museo Rhenano l. l. [p. 571] leguntur: verbum omissum 145, 5; verba transposita 158, 24; 180, 6; 180, 8; 187, 20; 200, 2; 200, 14; 209, 8; verba coniecturis temptata 99, 16; 107, 7; 107, 18; 131, 14; 139, 4; 141, 21; 154, 13; 159, 16; 161, 15; 201, 21; verba interpolationibus affecta 120, 14; 128, 2; 130, 18; 132, 16; 139, 20; 148, 17; 171, 9; 171, 10; 177, 24; 181, 9; 203, 4; 203, 12.

Altera pars. De orationum Verrinarum scholiis a Poggio in monasterio Sancti Galli repertis.

De scholiorum Sangallensium genere atque natura summa accuratione Madvigius in disputationis criticae de Asconio a. 1828 Hauniae editae pag. 88—142 disseruit. Quas si quis diligenter perlegerit, optime cognoscet, et quid preti tribuendum sit his scholiis et quo tempore conscripta sint. Neque non proficient, qui de hac re doceri cupiunt, si Stangli librum notissimum de scholiasta Gronoviano, qui dicitur, conscriptum legent, et Geßneri disputationem, quae inscribitur: Servius und Pseudo-Asconius (Zürich 1888), qui quamquam non demonstravit id, quod probare voluit, scilicet Servi discipulum fuisse Pseudo-Asconium, tamen nonnihil attulit ad cognoscendam horum scholiorum rationem.

Consentio autem cum his viris, quod dicunt et orta esse haec scholia aut initio saeculi quinti post Christum natum aut circa medium[1]) et carere eorum auctorem, aut

[1]) Madvigius ut certum iudicium caperet de Pseudo-Asconi tempore, in sua disputatione inde a pag. 135 congessit, quidquid ei abhorrere videtur ab auctorum antiquorum genere scribendi. Qua in re cum neglexerit nonnulla, quae non neglegenda mihi videntur, adnotabo hoc loco posuisse horum scholiorum auctores infinitivum solum, ubi accusativum cum infinitivo lingua Romanorum antiquorum poscebat, his locis 102, 16; 126, 12; 129, 20; 140, 2; 175, 12; 178, 10; 107, 19 (ultimo autem hoc loco Baiterus accusativum male addidit) et legi quattuor his locis: 118, 10; 151, 11; 161, 8; 204, 17 enuntiationem incipientem ab hac voce *quod* — aut *quia* —, ubi accusativum cum infinitivo auctores antiqui adhibuissent. Praeterea memoratione dignum est inveniri has verborum compositiones: *compellere aliquem aliquid facere* 97, 9; 160, 19; 169, 10. (Adhibebatur autem posterioribus temporibus saepius tali modo hoc verbum; cf. Vegetius epit. rei milit. ed. C. Lang (editio altera) pag. 87, 16; 109, 7; 156, 11). *perficere* cum infinitivo, ubi scribendum erat *perficere. ut* 144, 11; (retinenda enim est hoc loco codicum lectio ...... *me et te dixisse perficiens* (-⏑-⏑⏑-; clausulae metricae regulas igitur hic auctor servabat, qua de re infra plura dicam) *comperendinationis iudicibus faciam potestatem* (-⏑--⏑)); *aequo animo ferre, ut* 156, 16; *ostendit falsitatem rationum Verris non convenisse summas*, ubi scribendum erat, *quod non convenerunt* 187, 9; *licet, ut* 209, 16. Deinde notabiles has aut enuntiationes aut voces proferam: *principalis divisio est, utrum .... et utrum* 100, 10; *quaeritur, an* 100, 14; *proxime,* ubi significatur id quod nos dicimus *kürzlich* 100, 24; *praescribit sequendos esse Siculos* 105, 12; *permissi sunt accusare* 123, 12; *vide, quotiens ... solent* 123, 17; *si quaeras, quod integrum est* 136, 13; *M. Antonius Cretae mortuus* 176, 6; *Graecos ... leves esse consensum est* 177, 24. Adamaverunt autem hi auctores, id quod certum signum est, eos posterioris demum aetatis fuisse, talem verborum usum, qualem habes in his enuntiatis: *causam inimici tui sublevando non videberis accusator* 105, 4; *non recessit a translatione scenicorum dicendo quartum actorem* 119, 22; *vocando ad se Metellum Siculos et eos minis deterrendo* 139, 17; persaepe alias.

auctores, accurata temporum illorum notitia, de quorum et viris illustribus et institutionibus agerent, ut sine indicio arriperent, quidquid aliunde eis innotuerat. Quibus de rebus cum non habeam, quae addam eis, quae ante me dicta sunt, nihil iam proferam; sed verba faciam de duabus his quaestionibus, quas promovere me posse confido.

Demonstrabo in capite primo nequaquam fieri posse, ut credamus haec scholia Sangallensia ab uno viro composita esse. Docebo in capite secundo, quae ratio intercedat inter Servi commentarios et haec orationum Verrinarum scholia. Quibus rebus absolutis in ultimo huius disputationis capite nonnullos locos Pseudo-Asconianos in examen vocabo, quorum corruptelis medelam adhibere posse mihi videor.

Caput primum.

De origine scholiorum in Verrinas conscriptorum, quae olim Asconio ipsi male tribuebantur, in Madvigi disputatione clarissima haec legimus (pag. 88): „in eam sane suspicionem veni, hunc commentarium primum cum ipso codice orationum Ciceronianarum ita coniunctum fuisse, ut notae margini adscriptae essent, deinde per se descriptum. Video enim in codice Poggiano ita perturbatum fuisse harum notularum ordinem, ... ut, id unde acciderit, nullo modo possim intellegere, si antiquitus in suo codice continua serie scriptae fuerint. Hanc autem coniecturam secutus id tum factum esse puto, cum notulae

in margine hic illic additae in alium codicem transferrentur."

Item pag. 90: „Unius tamen hominis perpetuum commentarium esse, non variorum adnotationes ex marginibus corrasas (ne quis id me putet dicere) satis patet tum ex argumentis additis, tum ex aequali tenore commentarii, tum ex eo, quod commentator paulo ante a se dicta revocat in memoriam," ubi in adnotatione vir ille doctissimus hos locos laudat: 152, 4: *diximus de hac quaestione* (cfr. 106, 16 sqq.) et 208, 26: *iam supra diximus* (cfr. 147, 20).

Denique pg. 142 adnot. 4: „Huic quoque commentario unum et alterum additamentum accedere postea potuisse non nego, et sunt, quae hanc suspicionem confirment, ut quae tam parvo spatio disiuncta dicuntur de sectore (172, 6 et 177, 10), de manubiis (199, 18 et 200, 19), inter se repugnantia de praedibus et praediis (196, 4 et 196, 17)."

Movit igitur neque tamen ad finem perduxit quaestionem quandam, quae haud scio an omnibus se offerat in legendis his scholiis. Quaeritur enim, utrum unius viri haec scholia esse iudicemus an plurium notulas hinc illinc collatas.

Attigit autem obiter hanc quaestionem ante hos undecim annos Paulus Hildebrandt in ea disputatione, quam „de scholiis Ciceronis Bobiensibus" promulgavit (diss. Gotting. Berolini 1894), ubi in pag. 8 adn. contendit, Pseudo-Asconi haec verba: 179, 9—16 contaminata esse e duobus scholiis. Neque enim sibi persuaderi posse eundem virum his vocabulis: *praetorium* et *hospitium* promiscue usum esse. Dissentit igitur, ut videtur, vir ille doctus a Madvigio, qui unius viri perpetuum commentarium haec scholia esse dixerat.

Qua in quaestione equidem Hildebrandtio potius assentiar quam Madvigio. Videntur enim mihi non ab uno viro composita esse haec scholia, sed hinc illinc corrasa; quod ut demonstrem nunc operam dabo.

§ 1. Ut ostendam haec scholia non ab uno viro conscripta esse, primum quidem Madvigi sententiam, ea olim marginalia fuisse, confirmabo usus duobus documentis, quorum alterum Madvigius iam attulit loco supra exscripto. Occurrunt igitur haec scholia ordine valde perturbato in libris manu scriptis. Quod cum e Baiteri editione vix cognosci possit, breviter hic adnotabo, ut exemplum praebeam, ea scholia, quae in paginis 106—112 inveniuntur, in codicibus hoc ordine legi: 106, 1—9; 106, 16—27; 106, 10—15; 107, 4—10; 107, 1—3; 107, 13—108, 8; 107, 11—12; 109, 20—111, 2; 108, 8—13; 108, 16—20 *(non liquere)*; 108, 14—15; 108, 20 *(et ideo)* — 109, 19; 111, 3 —112, 11; 112, 19—20; 112, 15—16; 112, 12—14; 112, 17—18; 112, 21—29.

At siquis hoc argumento proposito tamen dubitet de hac scholiorum origine, omnibus persuadebit alterum hoc argumentum, quod saepius in his scriptis notulas quasdam invenimus, quae cum non consentiant cum lemmatis praepositis, apte conveniant ad verba quaedam his lemmatis brevi spatio intermisso aut antecedentia aut subsequentia. Cuius rei haec exempla in medio ponam:

Ea verba, quae in pag. 112, 21—22 legimus: *haec omnia signa sunt falsi accusatoris* hausta ex ipsa Ciceronis oratione[1]), ad tres has Ciceronis enuntiationes pertinent inde ab his verbis: *Nec ea dico* usque ad: *amicissime vivere* neque ad sola haec verba, quae lemmatis loco in Sangallensi exscripta fuerunt: *Potamonem, scribam et familiarem.*

Eodem modo error exortus est, cum e libro Ciceroniano in alium codicem describerentur hae notulae:

in pag. 143, 12, ubi commentatoris adnotatione non haec verba: *secundum quos* explicantur, sed ea, quae antecedunt (*cum his plebeios*);

---

1) divin. § 29: sunt et haec et alia in te falsi accusatoris signa permulta.

in pag. 162, 5, ubi si codicum verba respicis e Kießlingi appendice critica facile restituenda, coniunxisse videtur is, qui primus haec scholia in unum coegit, cum Ciceronis his verbis: *defensorem provinciae constitui et deligi* hanc notulam: *subaudiendum est ad omnia: meum fuit.* Delapsa autem erat haec adnotatio in codice Ciceroniano ad eam lineam, in qua verba lemmatis loco descripta legebantur, ideo quod pertinet cum ad alia tum ad haec verba: *rei publicae consulere*, quae lemma exscriptum sequuntur.

Similia denique huius rei exempla occurrunt in 112, 26; 123, 11; 157, 16, ubi quamquam commentatoris adnotationes ad totas enuntiationes pertinent, nihil nisi singula verba in lemmate invenimus, in 185, 17, ubi lemma trium verborum legitur, e quibus unum solum explicatur, in 209, 7—9, ubi adnotatio artius conexa videtur cum hac enuntiatione: *maluit videlicet* et quae sequuntur, quam cum eis verbis, quae e Cicerone exscripta in nostris libris manu scriptis leguntur.

Iam si cognovimus haec scholia marginalia fuisse, non cum Madvigio auctores stultos appellabimus, quod res explicatione indignas explicaverint, neque mirabimur occurrere tales notulas, quales in pag. 134, 8 (*in unius potestate*] *Hortensii scilicet*), 134, 12; 13 multis aliis locis invenimus. Neque enim haec verba a Ciceronis quodam commentatore conscripta sunt ea mente, ut commentario perpetuo insererentur, sed superscripta erant in eo codice, cuius notulis descriptis haec scholia orta sunt, virorum a Cicerone significatorum nomina, id quod saepissime in aliis quoque libris manu scriptis factum videmus.[1]) Eodem

[1]) Ut exemplum proferam in orat. Ligar. § 9, ubi Clarkius, qui nuper edidit, cum optimis codicibus (α) scribit: *qui et ipse in eadem provincia,* codices deteriores (βγ) praebent: *qui et ipse in eadem Africa.* Similia autem inveniuntur in Verr. II 1, 87, ubi haec verba: *quod in Hispania est* et *quae in Ponto est* a codicibus Tullianis male adduntur, et in Verr. II 2, 38, ubi haec enuntiatio *hoc est cum populo Syracusano*

modo magna pars earum quoque adnotationum exstitit, quae apud scholiastas Gronovianos leguntur.[1]) Quo factum est, ut duobus locis et in hoc libro et apud Pseudo-Asconium eadem Ciceronis verba isdem verbis explicarentur. (Ps.-Asc. 102, 14 = Sch. Gr. 383, 33; Ps.-Asc. 129, 17 = Sch. Gr. 389, 31).[2]) Alterum vero ex altero hausisse minime credendum est.

§ 2. Haec scholia ipsa olim non librum effecisse praeter lemmata male adscripta argumenta quoque scholiorum docent, quae si perscrutamur, facile cognoscimus auctores non id egisse, ut certo ordine servato lector doceretur de orationum Verrinarum argumentis deque Ciceronis arte dicendi, sed in ipso Ciceronis verborum contextu adnotata fuisse, quae scholiastis in mentem veniebant. Sic enim factum est, ut persaepe eaedem res iterum atque iterum repetantur in his scholiis. Quo e genere est, ut eas repetitiones omittam, quas a Madvigio adnotatas esse iam monui, quod, ubicunque occasio praebebatur, adnotatum legimus, binos Siciliae quaestores per annos singulos fuisse (100, 16; 187, 2; 207, 5; 209, 1); quod quinquies docemur Cn. Dolabellae C. Verrem *legatum et pro quaestore fuisse,* quibus verbis ipse Cicero Dolabellam significat in actionis primae § 11 (102, 13; 127, 20; 129, 26; 169, 9; 186, 1); quod tribus locis legimus Glabrionem praetorem Verris iudicio praefuisse (99, 12; 129, 17; 147, 9); quod ter de causis publicis et privatis exponitur (100, 7;

a Thaddaeo Zielinski deletur [Curae Tullianae Moskau 1893]; fluxerunt autem haec verba postea addita ex eiusdem orationis § 45 (*palaestrae Syracusanorum, hoc est Syracusanis, possessio traditur*).

[1]) Notissimum est Stanglium quattuor horum auctorum operam agnovisse in scholiis Gronovianis: Schol. Gron. A = 399, 31—405. B = 382—397. C = 398—399, 22. D = 406—444. (cf. Stangl, der sog. Gronovscholiast. Prag u. Leipzig 1884.)

[2]) Scribendum igitur in scholiis Gronovianis hoc loco: *Hoc praetore*] *Glabrione. Et hoc consilio intellegere non possum*] *quia hi iudices* et quae sequuntur.

106, 2; 131, 21); quod bis docemur eos, qui repetundarum damnati erant, aut litis aestimatione aut exsilio multatos esse (157, 18; 146, 2—3; altero autem loco scholiastae verba corrupta sunt). Deinde, ut similia proferam, saepius admonemur equites Romanos ante decem annos *a victore Sulla* iudicandi iure privatos esse (99, 11; 103, 7; 145, 10); iterum atque iterum auctor nos commonefacit, Marcellum Syracusis expugnatis signa concessisse Siculis neque asportavisse, Scipionem Carthagine excisa reddidisse Syracusanis ea signa, quae Poeni olim ademerant (100, 21; 158, 22; 204, 22; cf. 130, 27); duobus locis memoratur iudices in causis capitalibus ad sententiam ferendam testis usos esse, quibus hae litterae insculptae erant: *C. A. NL.* (108, 17; 164, 19); bis agitur de quadruplatorum nomine (110, 9; 208, 23 cf. 162, 1); bis narratur censores in quinquennium creari solere (103, 13; 188, 21); pag. 210, 16 memoratur, diem festum apud Graecos fuisse, cui nomen esset Mucia, quamquam de eadem re iam edocti sumus pag. 122, 16; duobus locis explicatur, quid frumenti aestimatio in cellam praetoris sit (113, 8, 21; 185, 13); duobus audimus alteram huius iudici actionem *secundum veram gestorum fidem non dictam sed scriptam esse* (162, 14; 154, 1); bis narratur, fabulas quinque actus habere (119, 9; 208, 11); tribus locis legimus de ludis *etiam tum in foro datis* (120, 20; 174, 18; 195, 18); pag. 130, 18 explicatur, aratores eos esse appellatos, qui frumentum decimanum populo Romano dabant, quamquam idem iam ad divinationis § 32 adnotatum exstat (113, 6); in pag. 159, 12 ut explicetur, qualem defensorem antiqui cognitorem dixerint, ipsius Ciceronis verba supra posita laudantur neque memoratur ad illum locum in his scholiis iam actum esse de cognitore (104, 8—12); tribus denique locis, qui brevissimo spatio inter se disiuncti sunt (171, 3; 174, 19; 174, 24), adnotatur, ad ornatum fori saepius a magistratibus Romanis signa e Graecia commodata esse.

§ 3. Iam postquam demonstravi haec scholia olim non commentarium perpetuum effecisse, ut ostendam ea non ab uno viro composita esse, gravissimas discrepantias in illis occurrere docebo.

Inter se non consentiunt ea verba, quae in p. 128, 16 et 145, 24 leguntur; priore enim loco cum nude dicat auctor, litem statim aestimari ei, qui accusatus respondere non audeat, altero demum exponitur litis aestimationem esse *pecuniae, de qua lis fuit et propter quam condemnatus est* (scil. reus), *in summam redactionem.*[1])

Deinde notabilem hanc rem afferam, quod p. 188, 14 de Chelidone narratur ut lectori nota, cum in 192, 26 demum doceamur, eam *plebeiam quandam Verris clientam* fuisse.[2])

Vides igitur res inter se non consentientes plures proferri posse quam Madvigius protulit, neque iam parati erimus iudicare haec omnia additamenta esse postea adiecta. Nam quod vir ille doctus dicit inter se pugnare, quae de praedibus et praediis in his scholiis legimus, multo saepius diversa de isdem rebus in illis proferuntur. Ea enim verba, quae in pag. 128, 24 sqq leguntur, si comparantur cum 165, 20, ubi de eadem re iterum agitur, quis non videt, eandem rem duobus his locis ita explicari, ut inter se discrepent quam maxime? Altero enim cum auctor dicat Ciceroni nihil profuturum fuisse si quamvis celeriter e Sicilia rediisset (165, 22), altero contendit per dolum inimicorum ei quam celerrime iter conficiendum

1) Conferatur hic quoque locus 177, 11, ubi iterum explicatur, quid sit litis aestimatio.

2) Similem discrepantiam inesse iudico his locis: 100, 4; 111, 25 sqq. Altero enim cum auctor dicat, Caecilium nunquam *sui periculum fecisse*, altero Ciceronis haec verba: *quando tute tui periculum fecisti?* explicatione egere iudicat, ut adnotet haec idem valere ac si orator dixisset: *quando tu te ipse tentasti?*

fuisse.[1] Itaque haec certe scholia non ab eodem viro composita sunt. Neque uni auctori tribui possunt hae adnotationes 188, 18—23 et 189, 4, quarum altera in dubio relinquit, utra huius vocabuli *census* explicatio recta sit, altera explicationum supra laudatarum priorem nulla dubitatione accipit. Neque non inter se pugnant haec scholia 181, 12 et 169, 11, cum altero loco male confundens Cn. Dolabellas auctor a Caesare accusatum esse dicat eum, cui Verres legatus et pro quaestore fuerit, altero recte commemoret eum a Scauro reum factum esse.[2]

Praeterea discrepantia in his scholiis exorta est inde, quod scholiastae posteriorum temporum decepti, id quod Madvigius docuit,[3] Ciceronis ipsius verbis perperam arbitrabantur in comperendinatione accusatori altero demum loco, id est, reo iterum iam defenso, verba fuisse facienda. Quae sententia occurrit et apud Pseudo-Asconium in pag. 153, 11; 154, 14; 163, 22; 164, 4 et in Scholiasta Gronoviano A hoc loco: 400, 26. Sed nullo modo consentit cum his locis, quod in nostris scholiis (166, 26 — 167, 2) narratur Ciceronem providere, ne in epilogis ab Hortensio productus Verris filius misericordiam iudicum patri conciliet. Sciebat igitur is, qui hoc scholium composuit, Hortensi orationem, si vere actum esset iudicium, subsecuturam fuisse.[4]

Addam denique his rebus inter se pugnantibus nonnullas, quae licet minoris momenti sint, aliquid certe

[1]) De ipsa quaestione difficillima, quam neuter bene solvit, lectorem reicio ad ea, quae Zielinski exposuit in Philologo 1893 p. 248—259, cuius sententiam impugnavit B. Kübler in Philologo 1895 p. 464—473.

[2]) Recipiendam enim arbitror hoc loco (181, 12) Hotomani praeclaram illam coniecturam, qua codicum hanc lectionem: *causarum* mutavit in *Scaurum*.

[3]) Madvig, de Asconio pag. 113, adn. 3.

[4]) Quo loco si quis offendat in hoc numero plurali: *epilogi*, conferat haec verba: 155, 19: *prooemia sane huius libri* et q. sq.

demonstrant. Videtur enim mihi vix credibile esse eundem virum in eiusdem orationis argumento posuisse et haec verba: 126, 11 *hoc igitur laborat..... Tullius, ut ostendat non dolo nec astutia facere id, quod fecit* et haec 127, 6: *ostenditur* (scil. a Tullio), *certandum cum Hortensio astutia, non utendo horis omnibus ad dicendum*, aut, ut aliud exemplum proferam, ab eodem viro profecta esse haec scholia: 206, 1: *M. Lepidi praetoris, qui accusari coeperat....* et 206, 10: *quia Lepidus..... necdum coeperat accusari.*

§ 4. Quae postquam exposui, Madvigi documenta, quibus nisus uni auctori haec scholia tribuit, nihil valere contra meam sententiam breviter explicabo. Quorum documentorum cui maximum pretium tribuit, id ultimo loco posuit, cum dixit auctorem saepius in memoriam revocare res supra expositas. Qua in re negari non potest, ubi duo scholia coniunguntur talibus verbis, quae lectorem ad superiora dicta reiciunt, utrumque ab eodem viro compositum esse; inveniuntur autem huius rei exempla his locis:

132, 11: ut supra diximus; supra = 131, 18.

132, 17: meminimus in divinatione narrasse; vide 109, 9—18.

126, 14: ut diximus; conferas 126, 2.

144, 16: ut supra diximus; supra = 109, 20—110, 7.[1])

147, 1: iam supra dictum est; iterum ea verba significat, quibus de Hortensio iudicum corruptore in causa Terenti egit (109, 9—17).

138, 12: ut supra diximus; supra = 136, 16; videntur enim respici hoc loco ea verba, quae cum solus Sozomeni

[1]) Monendum autem iudico hoc loco auctorem adnotare se iam dixisse de Hortensio pueros nobiles eludente neque tamen commemorare se de discoloribus ceris iam exposuisse; qua e re suspicio oritur eum, qui 109, 20—110, 7 et 144, 15—16 conscripsit, non esse eundem qui 109, 9—17 adnotavit.

liber servarit, adhuc non leguntur nisi in editionis Berolinensis appendice (*criminatur Metellum praetorem urbanum et alterum Metellum* eqs.).

208, 26: iam supra diximus; supra = 147, 19.

Praeterea quod in p. 120, 1 legimus: *Hinc apparet etiam supra alienum alieni iudicii hominem significari*, id sine dubio ab eodem scriptum est, qui supra (p. 118, 12) varias de hac re sententias protulit, et haec verba: 165, 16 *tenere debemus* et qu. sequ. coniungenda sunt cum 151, 6: *apparet ex hoc dicto, testes suos etiam accusatores interrogare consuesse.*[1])

Duo praeter hos exstant loci, ubi in memoriam revocantur ea, quae supra dicta sunt, sed uterque accuratiore disputatione dignus. Nam quod in 165, 20 respiciuntur ea verba, quae ad act. I 6 adnotata leguntur, supra iam docui (pag. 37), ea sola respici, quae in 128, 22—24 inveniuntur, cum ea, quae sequantur, alii cuidam auctori attribuenda sint. Qua in re considerandum esse iudico, haec verba in libris manu scriptis hoc ordine legi: 128, 24 (*petiit*) — 128, 26 (*petiit*). 128, 22—24 (*reum*); 128, 26 (*moris*) — 129, 3, unde haud scio an apud omnes suspicio oriatur, in hoc scholio, ut nunc apud Baiterum legimus, conglutinatas esse tres adnotationes olim inter se non cohaerentes.

Ultimus denique locus, ubi auctor ipse sua verba respicit, occurrit in pag. 152, 4. Pertinent enim haec: *diximus de hac quaestione summae variae* . . . . . *quod solvimus, quod* . . . . . ad eiusdem rei tractationem in 106, 16—27. Sed accuratius inter se has enuntiationes conferre operae pretium est. Videmus enim priore loco quattuor causas afferri, cur in divinatione milies se repetiturum esse, in actione quadringenties abstulisse Verrem Cicero dicat. Quarum causarum duae cum eis, quae altero

[1]) Consulto omisi hunc locum 156, 23 ideo, quod in codicibus legimus *ut supra dixit apparet* (-⏑--⏓) atque dubito, an non recte Baiterus mutarit.

loco afferuntur, consentiunt, eae scilicet, quibus et admonet commentator Ciceronem ex persona Siculorum *accusatorie vociferantium* loqui, id est, ut in pag. 152, 7 explicatur, eum *veritatem auxisse*, et memorat Ciceronem nondum ita *contra Verrem instructum fuisse*, ut certiora sciret de summa pecuniae a Verre e lege repetendae. Reliquae autem res quibus Ciceronis verba explicantur in adnotatione illa priore, scilicet eum in divinatione praevaricatoris partes suscipere non potuisse neque dubitare oratores ad conciliandos sibi iudicum animos etiam falsa confingere, altero loco non repetuntur, ut suspicio oriatur, eas postea additas esse. Simili modo quae causa in 152 tertio loco affertur his verbis: *et quoniam spe*[1]) *duplae vel quadruplae repetitionis quantumvis accusatori progredi licuit*,[2]) in 106 non legitur, ut hanc quoque postea additam iudicem. Cognoscimus igitur ex ipsis eis verbis, quibus res supra expositae in memoriam revocantur, nos commentarium illum perpetuum, si modo fuit, non tenere nisi retractatum.

At si quis unius viri esse haec scholia inde probare vult, quod singulis orationibus argumenta praemissa sunt, quod alterum Madvigi documentum esse lectorem memoria tenere arbitror, ea quoque olim adscripta fuisse possunt codici Ciceroniano, id quod actionis secundae argumentum ipsum demonstrat, cum his verbis: *deinceps haec omnia* (154, 1) orationis ipsius textum significet. Fluxerunt autem haec quoque argumenta e compluribus fontibus, id quod de eis verbis, quae actioni priori praemissa sunt, me existimare iam dixi (pag. 39), de eis autem, quae 154—156 leguntur, existimandum esse omnes concedent, qui quidem considerarint 155, 8—12 nullo modo cohaerere neque cum

[1]) *psc* codd. *ope* coniecit Stanglius mus. Rhen. XXXIX p. 577; *spe* Ald. Bait.

[2]) Quo loco si quis offendens in hac enuntiationum coniunctione: *quod.....et quod.....et quoniam* scribendum iudicat: *et quod spe duplae*, meae argumentationis vis non infirmatur.

eis, quae antecedunt neque cum eis, quae sequuntur.[1]) Sed de his argumentis, cum in huius capitis § 5 accuratius acturus sim, nunc nihil addam.

Restat igitur, ut doceam ne tertium quidem Madvigi documentum demonstrare haec scholia ab uno viro conscripta esse. Qui quod dicit aequalem scholiorum tenorem in toto commentario inveniri, quid inde concludi possit nescio nisi hos scholiastas Ciceronianos, quorum numerum magnum fuisse ipsa scholia Sangallensia saepe testantur, omnes eodem fere modo Ciceronis orationes explicavisse. Quid? Nonne Stanglius quoque dixit eas commentationes, quae scholiastis Gronovianis B et C attribuendae essent, ita inter se consentire, ut discerni non possent, si olim permixtae essent?[2]) Nonne Madvigius ipse concessit perpetuum orationis tenorem in Pseudo-Asconi scholiis brevissimis non esse?[3]) Hoc unum igitur concedemus, omnia ea scripta, quae unius personati Asconi esse putabantur, eodem fere tempore orta esse.

§ 5. Accedit ad haec omnia aliud documentum haud leve, quo evincere me posse puto haec scholia non ab uno viro composita esse: clausulam metricam dico in his scholiis modo religiosissime servatam, modo neglectam. Neque tamen quisquam putabit eundem auctorem in conscribendis commentariis sua verba partim numeris inclusisse, partim eorum omnem curam deposuisse.

Sed de hac re disputaturus non ignoro me versari in loco difficili. Neque enim ita iam imbuti sumus huius rei doctrina, ut penitus pernoverimus singulorum et auctorum et temporum usum, neque ignoramus has clausulas, quibus

---

1) Irrepserunt autem haec verba e loco quodam, ubi de quaesitore agebatur. Adhibebantur enim saepius hi versus Vergiliani a scholiastis ad enarranda quaesitorum munera, ut e Ps.-Asc. 140, 18 sqq. concludimus.

2) Stangl, der sog. Gronovscholiast pag. 19.

3) Madvig, de Asconio pag. 135.

auctores Romani suas enuntiationes terminabant, linguae Romanae sic convenisse, ut saepius ultro clausulae fluerent etiam apud eos auctores, qui huius rei rationem non habebant. Itaque si apud auctorem quendam nonnullae enuntiationes neque tamen omnes numerose cadunt, eum clausulas omnino neglexisse censendum est.

Praeterea in his scholiis non raro brevissimis saepe dignosci non potest, utrum clausulas exhibeant necne. Qua de causa noli exspectare me haec scholia divisurum esse in duas partes, quarum alteram auctori cuidam tribuam, qui apte ac numerose scripserit, alteram alteri oratorum praecepta de hac re neglegenti, sed hoc unum demonstrasse satis habebo, servatas esse in magno numero horum scholiorum clausulae leges, in aliis omnino neglectas.

Sed priusquam ad ipsa nostra scholia aggrediar, duobus exemplis e scholiis Bobiensibus petitis, quorum auctor sua verba diligentissime numeris exornavit, lectorem docebo, quam rationem illorum temporum auctores secuti sint in adhibendis clausulis. Quibus in exemplis facile cognoscetur, adamari has formas -⏑--⏒ et -⏒--⏑⏓, quibus cedat longo intervallo tertia haec -⏑⏓ -⏑-⏒, longiore quarta haec forma -⏑- -⏑-⏑⏓.

Inspiciamus igitur hos locos: schol. Bob. 228, 15—20: . . . . . L. Balbo et Appuleio Deciano (-⏑⏔--)[1]); quos vult obtrectatores intellegi (--- -⏑-), invidos gloriae huius Valerii Flacci (⏔⏑---) magisque cupientes destruere virtutem (⏔⏑--⏑) quam ullum crimen ostendere (-⏑- -⏑⏑): quorum personas onerat invidia (⏔⏑- ⏔-); quasi nihil aliud affectent

---

1) Iam igitur littera vocalis in casus ablativi exitu corripitur; cuius rei multa exempla inveni in Firmico Materno (de errore prof. rel. c. 13, 2 graécŏ sermóne, 15, 3 humánŏ praesidĭo; 16, 4 in térră dŏmĭnétur; 27, 2 flámmă (abl.) blandíris). Neque enim has clausulus sic compositas esse coniciemus -⏒--⏒; nam iure Meyerus contendit clausulam non inveniri in fine enuntiati cuiusdam, nisi una syllaba brevis sit. (Goettinger gel. Anz. 1893 p. 11.)

(⏑⏑⏑–––), quam coniurationem[1]) illam Catilinae (–⏑⏑⏑––)[2]) quae hoc adiutore oppressa sit vindicare (–⏑– –⏑–⏑).

schol. Bob. 270, 15—25: . . . . . . denotasse Laterensis (–⏑⏑̄⏑–⏑), quod multa, quae facetius dici possent (–⏑––⏑––) cum aliqua figurandi subtilitate (–⏑––⏑–⏑) non praetermitteret (–⏑– –⏑–)[3]). Itaque hoc eum dicto perstrinxerat (–⏑– –⏑⏑) habuisse materiam de vocabulo Cretae insulae aliquid in se iculariter dicendi nec tamen id excogitasse (⏑̄⏑ ⏑– –⏑–⏑). Constabat enim Laterensem fuisse in Creta provincia (–⏑––⏑–). Et solebant omnes candidati alba creta oblinire cervicem (–⏑– –⏑)[4]), ut populo notabiliores essent (–⏑⏑ –⏑––)[5]). Ergo . . . . . dicit eum iocari potuisse (–⏑⏑̄⏑–⏑), si ad hoc adiecisset ingenium (–⏑–⏑̄⏑–), ut id inveniret, quod poterat occurrere (⏑̄⏑ ⏑– –⏑⏑). Sed acute rapuit ex eodem proposito validam responsionem (⏑̄⏑ ⏑– –⏑–⏑),

1) *adiurationem* codex; *coniurationem* coniecerunt Stanglius (Progr. d. Luitpold-Gymn. zu München 1894) et Zieglerus (Hermes 1896, p. 22).

2) Videtur igitur scholiastes Bobiensis *m* litteram in fine verborum non pronuntiavisse, ut e. gr. Commodianum non pronuntiavisse nuper demonstravit Cornu in libro Bausteine zur romanischen Philologie. Festgabe für Mussafia p. 9

3) Corripiebatur igitur, ut videtur, illis temporibus haec dipthongus *ae*; quod ut demonstretur, conferantur hi loci: Firmicus Maternus de error. 16, 3 favillăe (favillĕ) servántur; 16, 4 nótăe sunt poénae; 28, 1 istăe quas cólligis; schol. Bob. p. 232, 16: inundatióne demérsaĕ sunt; 237, 20: exaggerátăe sûnt cáusae; 270, 9: impléndăe defénsiòni.

4) Si quis exempla quaerit, quibus probatur, infinitivi hunc exitum . . . *i* syllabam brevem praebuisse illis temporibus, hos locos inspiciat: Firm. Mat. de err. 13, 3 addúcĭ pŏtŭisset; 17, 1 et 2 dicĭ vŏlŭérunt; schol. Bob. 280, 1. dicĭ mănĭfestum est (tribus his locis clausulam heroicam, quam omnes auctores semper vitarunt, haberemus, si hanc syllabam, de qua agimus, produci iudicaremus); Firm. Mat. de err. 12, 9. invenirĭ non pòtĕrit; 22, 2 laetárĭ compéllis; 27, 1 renovárĭ dispòsŭit; 27, 5 lenirĭ praecépit; schol. Bob. 261, 19. probárĭ non pòssit; — Egit autem nuper de Firmici Materni clausulis Konrat Zieglerus in museo Rhenano LX p. 290 sqq.

5) Corripiebatur, ut videtur, illis temporibus huius vocabuli ***notabiliores*** exitus. cf. Minucius Felix c. 30, 4: viventĕs obruere; Firmicus Maternus de err. 22, 1: faucĕs unguentur.

ut magis eum cupidum lacessendi ostenderet (–⏑– –⏑⏑), qui sibi ea ultro suggereret (–⏑– ⏑⏑⏑), quae potuisse dici fateretur (–⏑– –⏑––⏑) nec tamen dicta sunt (–⏑– –⏑–).

Quae praefatus iam ipsa Pseudo-Asconi, qui dicitur, scholia in examen vocabo: exscribam autem primum quidem locum quendam clausulis instructum:

152, 12 sqq.: „Moris veterum fuit, cum satis visum esset fluxisse verborum (–⏑––⏑), hanc sibi necessitatem finiendae orationis imponere (–⏑––⏑⏑), ut dicerent ad ultimum: dixi (–⏑––⏑): quod etiam ab utraque parte oratione consumpta (–⏑–––), ut in consilium dimitterentur, (⏑̄⏑⏑––⏑–⏑) praetor soleret pronuntiare dixerunt (–⏑–––). Bene ergo Tullius denuntians adversariis compendium brevitatis hoc verbo usus est: dixi (–⏑––⏑).“ Hucusque omnia clausulae legibus satisfaciunt; sed quae sequuntur, videntur composita esse a viro quodam, qui clausulas omnino neglegeret.

„Non autem ibi finitur prima actio. Inducentur enim dehinc a Tullio testes (–⏑–––)[1]), quorum verba in oratione conscribere nullius elegantiae fuit[2]). Multis autem diebus prima actio celebrata est, dum testes Verris producuntur criminum diversorum (–⏑– –––⏑)[3]), dum recitantur publicae privataeque litterare, quibus rebus adeo stupefactus Hortensius dicitur (–⏑– –⏑⏑)[4]), ut rationem defensionis

1) Casui tribuamus, quod hoc loco clausula vera enuntiationem terminat, quam si consulto fudisset auctor, non in totius ambitus exitu clausulae regulas violasset. Neque enim clausulae gratia hoc vocabulum ***testes*** in enuntiationis fine posuit, set ut coniungeret haec verba: ***testes*** et ***quorum.***

2) Clausulae ea forma, quam Wolffius (de clausulis Ciceronianis diss. Vratisl. 1901) D littera significavit, hoc loco agnosci non potest; neque enim has syllabas: ***gantiae fuit*** (–⏑–⏑⏓) creticus praecedit, quem omnium clausularum initium fuisse Zielinskius demonstravit (Zielinski, Das Clauselgesetz bei Cicero Lpzg. 1904).

3) Clausula non bona (–⏑– –––⏑), quae apud Ciceronem saepius adhibita postea magis magisque evanuit.

4) Hanc clausulam bonam si auctor consulto posuisset, fecisset, ut verba, quae respondent (***perculsus Verres***) numerose caderent.

omitteret[1]), adeo perculsus Verres, ut abiret in exsilium sua sponte (-⏑--⏑). Nec quid amplius in iudicio gestum est, nisi quod Tullius metuens, ne tantum negotium paene tacitum praeteriret, finxit Verrem comperendinationi praesto fuisse (-⏑- -⏑-⏑), ut bis defensus accusaretur iterum. Et quemadmodum victoriae consuluerat brevitate dicendi (-⏑---), ita laudem eloquentiae tamquam repetita accusatione est consecutus reliquorum conscriptione librorum (-⏑--⏑), qui ceteros consequuntur (-⏑- -⏑-⏑)."

In his igitur verbis numerosa oratio non invenitur nisi in hac ultima enuntiatione, quam postea additam ut iudicemus facile adducimur. Sed utut res se habet, ea certe verba, quae in 153, 3—11 leguntur, ab alio quodam profecta esse atque qui 152, 12—153, 2 conscripsit, omnes puto concedent.

Iam igitur haec verba inspiciamus:

162, 16 sqq.: „Astutia Ciceronis haec fuit utendo testibus, ut nihil reliqui esset Hortensio (-⏑- -⏑-), nisi ut eos interrogare posset. Dicendi autem facultatem nullam ei dedit nihil ipse dicendo (-⏑- --). Etenim metuebat, ne si locum dicendi invenisset Hortensius (-⏑--⏑⏑), brevitatem temporis longa oratione consumeret (-⏑--⏑⏑), ut secunda actio ad alios iudices qui corrumpi possent (--- -⏑-⏑) aliumque praetorem post kal. ianuarias perveniret (-⏑--⏑-⏑), consulibus futuris se et Metello, fautoribus Verris (-⏑--⏑). Haec ita sunt, quemadmodum dicimus (-⏑--⏑⏑). Sed Cicero sic proponit querelam Hortensii (-⏑--⏑-), ut et iniusta et ridicula esse videatur" (-⏑⏔-⏑).

163, 17 sqq. „Aufero vobis molestiam bis dicendi (-⏑-----)[2]). Sed quid? dices utile esse bis dicere? (-⏑--⏑⏑)[2]). Et mihi ego denego hanc utilitatem[3]);

[1]) Clausula heroica (-⏑⏑-⏑), quam evitare studebant, quicunque in clausularum compositione syllabarum mensurae rationem habebant.

[2]) Casu factum est, ut haec enuntiata apte caderent.

[3]) Clausula heroica hoc loco invenitur.

in qua re cur me accuses non habes. Aut enim comperendinatio propter me magis quam propter te est instituta (--- -⏑-⏑), aut non magis propter te quam propter me. Si enim numerum dicendi consideres (-⏑- -⏑-), ex aequo res est; si ordinem, ego sum prior. Nam si accusator dixerit, respondet prima actione defensor (-⏑- -⏑): et rursum comperendinato iudicio dicit prior defensor, et defensionem tamquam duplicem in medio positam obruit ultimus accusator (-⏑⏑ ---⏑)."

Iterum igitur duorum scholiorum alterum clausulae legibus satisfacere, alterum non satisfacere videmus.

Tertio denique loco exempla e divinationis scholiis proferam:

103, 12 sqq.: „Regendis moribus civitatis (-⏑- -⏑-⏑) censores quinto quoque anno creari solebant (-⏑- -⏑-⏑)[1]). Hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, eiceretur senatu (-⏑- -⏑--), qui eques Romanus, equum publicum perderet (-⏑--⏑⏑), qui plebeius, in Caeritum tabulas referretur (-⏑--⏑), et aerarius fieret (-⏑- ⏑⏑⏑) ac per hoc non esset in albo centuriae suae (--⏔-⏑-), sed ad hoc non esset civis tantummodo (--- -⏑-) ut pro capite suo tributi nomine aera praeberet (-⏑--⏑). Idem completo quinquennio lustrabant et solitaurilia, sacrificia de sue, ove, tauro faciebant (-⏑⏔--). Eorum notam successores plerumque solvebant (-⏑- --). Hoc igitur tam triste severumquae nomen populus Romanus sic oderat (----⏑⏑), ut intermissum esset per plurimos annos (-⏑---); quod nunc orator propter infamiam corruptorum iudicum dicit plebem ipsam, quae ante recusabat exposcere (-⏑- -⏑⏑)."

107, 17—27: „Acriter ipsum inducit Hortensium confiteri consuetudinem suam in corrumpendis iudiciis pervagatam, et addit videri sibi tantundem impetraturum a

[1]) Ne quis offendat in eo, quod has syllabas *(an)nō̆* et *(crea)rī̆* hoc loco longas esse arbitror, breviter adnotabo eas produci in arsi, corripi in thesi.

iudicibus corruptis, si Caecilius constituatur,[1]) quantum si plane absolvatur Verres. Et est ordo et sensus: Non enim, inquit, illud peto, quod soleo impetrare a iudicibus, cum vehementius contendi. Quod? hoc scilicet, reus ut absolvatur, non id peto (--- -⏑-). Cum vehementius contendi: cum pecuniam iudicibus dedi. Significat iudicium corrumpi. Sed quare non aperte dicit? quia ipsum Hortensium inducit loquentem et omnes homines facinora honestius leniusque[2]) pronuntiant. (-⏑- -⏑-)."

Sed finem iam faciam exscribendi singula verba et rogabo, ut lector ipse inspiciat reliqua scholia, quae quidem paulo longiora sint, neque dubito, quin inventurus sit, eorum magnum numerum clausulis instructum esse, maiorem carere. Exhibent autem clausulas, ut utriusque generis exempla afferam, haec scholia: 108, 20 (*et ideo*) — 109, 7[3]); 111, 11—16[4]); 112, 3—7[5]); 117, 2—4; 118, 1—4[6]): 157, 10—15; 158, 10—14; 160, 15—19; 170, 23—26; 178, 8—10[7]); 199, 18—21; cum clausulae non inveniantur

---

[1]) Clausula herocia hoc loco enuntiatum terminat.

[2]) *leniusque* Pμ. Stanglius (mus Rhen. XXXIX p. 573); *leviusque* Pω Baiterus.

[3]) Quo loco iterum (cf. pag. 33) admonendus est lector, in libris manu scriptis non cohaerere haec verba cum eis, quae antecedunt.

[4]) Retinendum igitur iudico, quod in codicibus hoc loco legimus, *qui de oratore scribuntur* (-⏑--⏑). cf. schol. Bob. 305, 30.

[5]) Scribendum est igitur reiecta vetere hac coniectura: *audeat attingere* id quod in libro Matritensi atque in Sozomeni apographo legitur: *audebit attingere* (-⏑--⏑⏑).

[6]) Hoc uno loco in his scholiis tertiam personam pluralis perfecti terminatione *ere* instructam invenimus. Quam quin clausulae gratia auctor posuerit dubitari nequit. In fine autem huius adnotationis, etsi codices praebent *consuevisset,* tamen auctorem dixisse arbitror: *praebere consuesset* (-⏑---). cf. 151, 6 *interrogare consuesse* (-⏑--⏑) 132, 17: *divinatione narrasse* (-⏑--⏑).

[7]) Ut clausulam heroicam vitaret bonamque componeret, commentator loco huius verbi *recipere,* quo Cicero utitur, scripsit *suscipere.*

in 101, 11—17; 128, 22—129, 3; 131, 17—132, 15; 135, 10—16; 136, 19—137, 8; 139, 7—19; 141, 5—15; 146, 4—10; 160, 8—11; 165, 20—166, 6; 166, 10—15; 196, 4—12; 200, 19—21; 201, 1—21. In multis autem scholiis haud scio an in dubio relinquendum sit, utrum clausularum rationem habuerit auctor necne (169, 4—12[1]); 109, 9—17.)

De brevibus autem illis adnotationibus, quae unum enuntiatum solent amplecti, si quaerimus, quod eorum permagnus numerus in clausulam bonam exit[2]) id casui attribuendum non esse iudico; scholiorum autem horum maior pars cum clausulae rationem omnino non habeat, ne haec quidem ab eodem auctore composita esse apparet.

Iam igitur hoc unum restat, ut quaeramus de clausula metrica in argumentis, quae singulis libris praemissa sunt. Quae si perscrutamur, facile perspicimus ab uno viro conscripta non esse. Licet enim fieri possit, ut et haec verba numerose conscripta 203, 1—10 et haec clausulis omnino carentia 203, 11—204, 10 idem auctor composuerit, qui haud scio an putaverit abundare sermonis ornatum, ubi orationis Ciceronianae capita ieiune enumerantur, tamen nullo modo iudicandum est, eundem haec quoque verba: 126, 11—127, 11 et 99, 1—6 conscripsisse, quae omnino rationem non habent clausularum.

In nonnullis argumentis autem diiudicari non posse arbitror, utrum casui sit attribuendum an auctoris ingenio, quod hic illic clausulae verae inveniuntur (e. gr. in 97, 1—98, 17 et 125, 1—126, 10).

---

[1]) Redeunt autem haec verba ad duos auctores. Alter enim cum caute scriberet *accusator Dolabellae,* alter in idem vitium incidit, in quod alii quoque commentatores orationum Ciceronianarum, cum diceret, Caesarem illius Dolabellae accusatorem fuisse, cui Verres legatus fuisset.

[2]) Cuius rei exempla invenies his locis: 100, 3, 5, 8; 121, 11, 13, 15, 17; 129, 12, 14, 21; 148, 6, 17, 18, 24; 161, 15 sqq., 20, 22; 163, 10—15; 185, 11, 12, 18, 19, 21, 22.

Caput secundum.

Supra iam monui Geßnerum mihi non persuasisse cum dixit, Pseudo-Asconium Servi discipulum fuisse, etsi neque nego neque negari posse puto, haud raro notabilem consensum inter haec nostra scholia et Servi commentarios intercedere. Qua de re ne huius disputationis fines egrediar, pauca adnotabo.

Nititur Geßneri tota demonstratio eo, quod saepius de vocabulorum origine explicanda inter se consentiunt Servius et scholia Sangallensia. At non consideravit, omnes has vocum explicationes non a Servio inventas esse, sed ab illo sumptas ex eis libris, quos viri Romani antiqui de lingua Latina condiderant. Itaque si de vocum explicatione consentire cognoscimus Servium cum scholiis Sangallensibus, non iam sequitur, ut horum auctores ex illo hauserint; nam cum saepissime testentur ipsi hi auctores, alios iam viros ante se et interpretandis his Ciceronis orationibus operam dedisse[1]) et versatos esse in explicanda vocabulorum origine[2]), facile fieri potuit, ut per alios quosdam auctores nobis ignotos neque per Servium vetus illa doctrina ad scholia Sangallensia perveniret.

At si hanc rem ut diiudicemus, in singulis vocum explicationibus, de quibus consentiunt, quaerimus, unde Servius hauserit, facile perspicimus, nonnullas certe explicationes per alios interpretes ab antiquis illis viris ad Verrinarum orationum commentatores transisse. Cuius rei exemplum gravissimum ut afferatur, ea verba, quae apud Servium et in Pseudo-Asconio de origine *delubrum* vocabuli inveniuntur[3]), comparentur quaeso cum hac Verri

[1]) 100, 12; 105, 17 sqq.; 105, 23; 106, 16; 108, 4; 112, 26; 118, 12; 128, 22; 131, 6; 133, 17; 188, 20; 193, 16; 194, 8.

[2]) 101, 10 sqq.: 110, 9 sqq.; 138, 19; 99, 1 sqq.

[3]) Servius ad Aeneid. II 225: ...Masurius Sabinus delubrum effigies a delibratione corticis; nam antiqui felicium arborum ramos cortice detracto in effigies deorum formabant.... Ps.-A. 101, 16: sunt

Flacci adnotatione (Festus ed. Müller p. 73): *delubrum dicebant autem fustem delibratum, id est decorticatum, quem venerabantur pro deo.* Hoc loco igitur, quamvis similis sit Servi adnotatio ei, quae in Pseudo-Asconio legitur, inde quod magister ille doctissimus Romae urbis hanc vocem *decorticatus* omisit[1]), quam scholia Sangallensia servarunt, luce clarius fit, non alterum ex altero hausisse, sed amborum fontem communem fuisse Verri librum.[2])

Simili modo quod scholia Sangallensia ad explicandum notabilem huius vocabuli *depositus* usum in p. 157, 1 hunc Vergili versum laudant

ille ut depositi proferret fata parentis,

ubi a Servio eodem fere modo haec vox declaratur atque a Pseudo-Asconio, id multum valere Geßnerus indicat ad suam sententiam fulciendam (Geßner p. 33). At e Nonio Marcello (pag. 279 M.) cognoscimus, alios viros iam ante Servi tempora hos Ciceronis atque Vergili locos inter se comparavisse.

Deinde si Geßnerus cum Pseudo-Asconi ea adnotatione, ubi de vocabuli *dies* genere agitur (Ps. 128, 19—21), comparavisset non solum Servi adnotationes ad Aen. V 783 et X 467[3]), sed etiam permagnum numerum eorum locorum, ubi de eadem re egerunt ei viri, qui de arte grammatica Latina verba fecerunt[4]), facile cognovisset tritam fuisse

etiam, qui delubra ligna delibrata, id est decorticata, pro simulacris deorum more veterum posita existiment, sed male.

[1]) Confirmatur his Festi verbis vetus illa coniectura, qua codicum Asconianorum lectio corrupta *decoriata* mutatur in *decorticata.*

[2]) Ergo assentiri non possumus eis, quae Geßnerus p. 26/27 de hac re exposuit.

[3]) Servius ad Aen. X 467: dies vero tempus vitae; nam feminino usus est genere: cum enim masculino utimur, re vera diem significamus.

[4]) E. g. Charisius (G. L. K. I p. 110, 8): Dies communis generis est; qui masculino genere dicendum putaverunt, has causas reddiderunt, quod..... et cum hodie dicimus nihil aliud quam hoc die intellegitur. qui vero feminino, catholico utuntur, quod....deminutio eius diecula sit, non dieculus...... ..Varro autem distinxit, ut masculino genere

illis temporibus eam distinctionem a Varrone excogitatam, de qua his locis consentiunt scholia Sangallensia cum Servi libris, neque posuisset eam a Pseudo-Asconio e Servio haustam esse.[1])

Caput tertium: Explicantur nonnulli loci Pseudo-Asconiani.

Videmus in his scholiis persaepe usurpata esse Ciceronis ipsius verba aut ex eo orationum Verrinarum loco exempta, de quo commentator agit, aut aliunde translata. Cuius rei exempla habes his locis.

Ps. 102, 11: cf. divin. § 29: M Caecilium fratrem ..... (non) tecum tuas iniurias persequi: in Verrem II 1, 15: ut ei (scil. Caecilio), qui ..... inimicitias iustas persequeretur.

Ps. 136, 1 = Ps. 161, 20: cf. in Verr. I 23: si me aedilitate deiecissent.

Ps. 136, 16: ostendit Verrem non gratis factum fuisse praetorem (cf. ed. Kießl-Schoell. appendix). cf. in Verr. II 1, 101: is (scil. Verres) repente, ut Romam venit, gratis praetor factus est.

Ps. 201, 21: cf. in Verr. II 1, 22: quod putatis onus esse grave et incommodum iudicare.

---

unius diei cursum significaret, feminino autem temporis spatium; quod nemo servavit.... Nonius p. 522 M: „diem volunt, cum feminino genere dicimus, tempus significare, masculino diem ipsum.“ Similia leguntur in Probi de nomine excerptis. G L K IV 210, 6.

[1]) Animum induxi addere hoc loco conspectum eorum locorum, ubi et in scholiis Sangallensibus et apud alios auctores eodem modo singulorum vocabulorum origo explicatur: divinatio Ps. 99, 1 = Gellius II. 4: cuncti Ps. 100. 29 = Festus p. 50; quadruplator Ps. 110, 9 = Festus p. 258/259; peculator Ps. 127, 17 = Festus p. 212/213; perditum Ps. 129, 6 = Festus p. 215; nefarius Ps. 157, 7 = Nonius p. 59; compilare Ps. 167, 19 = Nonius p. 12 (s. v. suppilare); sub dio Ps. 171, 19 = Festus p. 74, Varro l. l. V 66; comitium Ps. 174, 21 = Festus p. 38, Varro l. l. V 155; impluvium Ps. 177, 8 = Festus p. 108; poscere Ps. 179, 1 = Nonius p. 374.

Ps. 212, 23: cf. in Verrem II 2, 40: P. Rupilius de decem legatorum sententia leges in Sicilia constituerat (cf. Ps. 106, 10—12).

Quae si memoria tenemus, non offendemus, ut editores Asconiani inde ab Aldo usque ad Baiterum offenderunt, in eo, quod libri manu scripti exhibent (101, 18): *exspectabat Arrium provincia Sicilia successurum Verri, qui non successit,* collatis his verbis Ciceronis: (in Verrem II 2, 37) *sperabat ..... Arrium, quem provincia tum maxime exspectabat, successurum* (vide etiam in Verr. II 4, 42: *virum fortem, quem summe provincia exspectabat, Q. Arrium*).

In p. 110, 6 dubitari nequit, quin commentator scripserit: *Iam iam, Dolabella, neque me tui neque tuorum liberum, quos .... reliquisti, misereri postest? Significat sane etiam ......* Neque enim immutantur Ciceronis verba, ubicunque laudantur in his scholiis. Legitur autem hoc loco in Sozomeni libro: *misereri potest significare,* in Matritensi *miseret. potest significare,* unde cognoscimus in codice Sangallensi iam fuisse hanc lectionem corruptam: *significare.* Deprehendimus igitur hoc loco Poggium coniectura mutantem verborum contextum; mutavit enim *misereri* in *miseret,* cum Sozomenus integra servaret verba tradita quamquam aperte corrupta.[1])

Coniecturis non sunt temptanda ea verba, quae in p. 119, 16—18 occurrunt, sed tali modo distinguenda: *Scilicet ab accusatore, cum ipso Caecilio numerans proximum, Alienum, quartum.* Hi igitur numerabantur accusatores: primus ipse Caecilius, secundus Appuleius, quem cum Cicero supra *proximum subscriptorem* apellaverit (§ 47, ubi conferas Ps. 118, 11) commentator hac voce *proximus*

---

[1]) Recte me restituisse hoc loco codicis Sangallensis verba corrupta vel inde probatur, quod mea coniectura efficitur, ut vox: *sane* in hac enuntiatione: *Significat sane etiam* et q. s. secundum locum occupet, non tertium, ut Poggius voluit.

significat, tertius Alienus, quartus homo quidam e grege moratorum.

In pag. 128, 2 ea verba, quae vocem *sed* sequuntur in codice, delenda sunt; aberraverunt enim librari oculi ad ea, quae supra scripta sunt in 127, 24 (*Verre terra marique insidiae r̃s alias significat*), ut scriberet: *Verrem sed terra marique insidias factas significat.* Enuntiatio autem mutilata collatis eis verbis, quae in 139, 1 occurrunt, sic fere restituenda est: *praemia sibi praevaricationis ostentarisse Verrem sed frustra.*

In pag. 131, 10 hoc unum vocabulum *redemptorum* excidisse rati verba tradita servatis clausulis metricis sic fere restituimus: *De redemptorum pacto, inquit, et promissione non iudicum* (-⏑--⏑-); *sed postquam reiecti sunt indices* (-⏑--⏑-) *displicuit totum negotium redemptoribus* (-⏑- -⏑⏑) *et resiluerunt a conditione ac pacto.*

In pag. 139, 18 haud scio an olim haec scripta fuerint: . . . . . *corruptarum pro se* [1]) *tribuum Verris pecunia.*

In pag. 195, 11 haec lectio proponenda mihi videtur: *Addidit que, ut esset plenum dictum; nam sarta tecta dicuntur* (-⏑- -⏑), quae verba sic vertenda sunt: . . . . *denn sonst sagt man sarta tecta.* In libris manu scriptis legimus: *sarta tectaque dicuntur.*

Ea verba, quibus in his paginis 203 et 204 orationis Ciceronianae argumentum auctor complectitur, sic mihi videntur restituenda (exscribam autem omnes has enuntiationes, ut uncis inclusas addere possim orationis paragraphos, quae significantur):

Incipit autem a laude Siciliae (1—17) et egreditur ad crimen Dionis (18—24), deinde Sosippi et Philocratis (25—31); hinc de iure Siculorum universo (32—34)[2]); [Frustra quidam Ciceronem reprehendunt, quod non inde

1) *a se* codd.
2) *si de iure Siculorum everso* codd.

coeperit, cum superiora crimina non egeant eiusmodi tractatu, qui ad sequentia pertinet, et oratoris consilio a magnis iisdemque clarioribus sumendum esset exordium]. Itaque post hoc de Heraclio (35—49), de expressis honoribus[1]) ab invitis (50—52), de Epicrate Bidino deque rebus capitalibus (53—67), de Sopatro (68—81), de Sthenio (82—118), de iure dicundo. Alterum de senatoribus, de sacerdotibus, de censoribus pretio a Verre factis (119—140), de collatione in statuas (141—168), de publicanorum cum Verre convenientia[2]) in furtis, de tabulis Carpinatii pecunias Verris extraordinarias continentibus (169—192).

Non dubito, quin recte mutaverim *everso* in *universo.* Apparet enim pertinere commentatoris haec verba ad paragraphos 32—34, ubi de iure Siculorum universo Cicero agit. Praeterea si hanc coniecturam reicis, intellegi non possunt, ut equidem iudico, ea verba, quae in enuntiatione sequente inveniuntur, ubi auctor dicit ea crimina, de quibus orator adhuc verba fecerit, per se clara esse neque postulare, ut doceantur lectores, quo iure Siculi utantur.

Deinde quod Lugdunensis libri hanc coniecturam: *heraclio de* recepi, omnes puto assentientur. Quam Baiterus non reiecisset, si scivisset, legi et in codice Matritense et in Sozomeni apographo: *meroclio*; quae vox cum in Pμ parum distincte scripta sit, in omnibus apographis Poggianis hanc lectionem habemus *merodio.*

Madvigius in disputationis criticae paginis 99—101 demonstravit, scholia Sangallensia niti codicibus Ciceronianis, qui multis locis foedati iam erant et librariorum mendis et grammaticorum coniecturis atque interpolationibus. Quod cum multis aliis lectionibus probavit, tum eo lemmate, quod in pag. 175, 1 invenitur, ubi quattuor

1) *post hoc de meroclio expressis honoribus* S Pμ.
2) *cōniv ntia* Pμ; *convenientia* S, ut Baiterus coniecerat.

verba ex actionis secundae oratione quarta (§ 8), cum olim comparandi causa, ut suspicatur (pag. 101) adnotata essent in codice quodam Ciceroniano, videntur illata fuisse in illius libri textum, quo commentator utebatur.[1])

Tribus autem locis rectius haec scholia servasse videntur Ciceronis verba quam nostri libri manu scripti. Nam in act. I 5 si hanc lectionem recipimus, quam Pseudo-

[1]) Secutus hanc viam multa exempla talium interpolationum, qualem hoc loco statuimus, inveni in Ciceronis orationibus Caesarianis. Quam rem cum nemo adhuc animadverterit, liceat paulo latius explicare, ut medear loco cuidam orationis Marcellinae.

In eis codicibus, quos Clarkius in editione Oxoniensi β et γ familiis tribuit, has interpolationes invenimus, quarum originem facile cognosces collatis eis locis, quos uncis inclusos adscribam:

pro Marcello § 8 linea 22 (ed. Clark.): tanta vis α β; tanta vis tanta copia γ (quod provenit ex orat. pr. Marc. § 4, l. 18).
p. M. 21, 28: extenuabo α β; extenuabo verbis γ (p. M. 6, 4).
p. Lig. 13, 22: pugnabis α γ; oppugnabis β (p. L. 14, 1).
p. L. 14, 26: cave ignoscas α β; cave credas, cave ignoscas γ (p. L. 16, 17--18).
p. L. 27, 20: reiectus iniuria (-⏑--⏑-) α β; reiectus cum iniuria (--- -⏑-) γ contra clausulam (p. L. 26, 9: cum crudelitate reiectus; p. L. 24, 16: summa cum iniuria).
p. L. 30, 22: ad iudicem sic α γ; ad iudicem sic agi solet β (p. L. 30, 15).
p. L. 31, 3: gratiosiores esse quam voltus (-⏑---) α γ; gratiosiores esse quam preces (-⏑-⏑- contra clausulam) β (p. L. 31, 8).
p. L. 31, 8: ut dixi causas α; causas ut dixi β; ut dixi causas rogantium γ (p. L. 31, 2).
p. Deiot. 17, 4: erant enim α γ; ibi enim erant β (p. D. 21, 17).

Quae si cognoverimus, astipulabimur Clarkio p. D. 29, 30 scribenti: *Tum vero exercitu amisso ego, qui pacis semper auctor, post Pharsalicum autem proelium suasor fuissem.* Vox enim *fui*, quae totius enuntiationis conexum rescindit, irrepsit post *auctor* in β et γ libros ex orationis Ligarianae his verbis (28, 26): *pacis equidem semper auctor fui, sed tum sero.*

Dolendum autem est Clarkium contra α familiam, quam ab interpolationibus paene liberam et reliquis multo meliorem esse cognoverat, p. M. 31, 9 scripsisse: *hoc misero fatalique bello.* Quo loco quid vox *hoc* sibi velit, nescio. Auxit enim orator in eis enuntiationibus, quae praecedunt, cum de discordiis civilibus ageret, paulatim vim verborum. Itaque cum primo dixisset, diversas fuisse voluntates civium, deinde

Asconius in 129, 8 laudat: *alienum tempus offenderet*[1]) (-⏑--⏑⏑), meliorum clausulam in fine totius ambitus habemus, quam si codices Ciceronianos secuti legimus *tempus alienum offenderet* (⏑⏑-- -⏑-).

Deinde quod in Ps. 198, 3 Ciceronis haec verba afferuntur *omnes reiecti sunt*, ubi libri Ciceroniani exhibent *omnes exclusi sunt* (in Verr. II 1, 148), haud scio an scholia Sangallensia lectionem vetustiorem praebeant. Videtur enim invasisse hoc verbum *excludere* aut ex eiusdem paragraphi his verbis *angustiis temporis excluduntur omnes* aut ex eiusdem orationis § 150 *cum die ceteros redemptores exclusisset* eodem modo, ut saepe Ciceronis verba in nostris libris manu scriptis mutata esse collatis aliis locis Ciceronianis in pag. 56 adn. demonstravi.

Denique in Verr. II 2, 11 omnes codices Ciceroniani haec exhibent: *At quemadmodum, iudices, venerunt?*, cum

certamen inter clarissimos duces exstitisse, tertio denique loco his verbis usus est: *perfuncta res publica est misero fatalique bello*, quae sic fere vertamus: *ja es war ein schrecklicher und unheilvoller Krieg, den unser Staat hat durchmachen müssen.* Apparet Ciceronis sententiam funditus everti ea lectione, quam β et γ codices secuti omnes editores praebent. Quae quin reicienda sit, non iam dubitabimus collatis his verbis (p. Deiot. 13, 11): *ad eum igitur rex Deiotarus venit hoc misero fatalique bello.*

Quibus rebus expositis lectores non mirabuntur invasisse in has Caesarianas duobus locis interpolationes ex orationibus Catilinariis. His enim deberi iudico, quod in β et γ familiis legimus in orationis Marcellinae exordio (2, 11) *meam vocem.....conservatam ac restitutam puto* (*meam vocem.....restitutam puto* α; cf. in Catil. III 1 .....*conservatam ac restitutam videtis*) et in Deiot. § 5, 20 *intra domesticos parietes* (*domesticos* omisit α; cf. in Catil. II 1: *non denique intra domesticos parietes pertimescemus*).

[1]) Non dubito, quin commentator hoc loco scripserit: *offenderet*, etsi in omnibus libris legimus *offenderat*. Neque enim horum scholiorum auctores in exhibendis Ciceronis enuntiationibus facere, ut verba allata suorum verborum nexui congruant, vel ex duobus his locis apparet: Ps. 102, 29; 159, 13 (ubi cum S Pμ libris reiecta Baiteri lectione scribendum est: *ipse alibi me cognitorem iuris sui*).

in scholiis Sangallensibus haec verba exstent: *At quemadmodum, iudices, venerint?*, quae sic fere explicanda esse dicit auctor, quasi hoc scripserit Cicero: *A. q. iud. venerint, ex hoc cognoscite.* Quo loco si consideramus lectionem in scholiis prolatam praebere clausulam a Cicerone quam maxime adamatam, cum textus a Ciceronis codicibus traditus clausulam omnino non praebeat, haud scio an recipiendam iudicemus scholiorum Sangallensium lectionem quamquam difficiliorem.

Praeterea quod in Verr. II 1, 34 et codices Ciceroniani et scholia Sangallensia binas has lectiones exhibent *Quaestor Cn. Papirio consule fuisti* et *Quaestor Cn. Papirio consuli fuisti*, hanc alteri anteponendam iudico. Saepius enim Ciceronem hoc modo casu dativo usum esse his exemplis probabo: div. in Caecil. 65: accusavi eum, cui quaestor fueram; in Verr. I 11: eum, cui et legatus et pro quaestore fuisset; pro Flacco 6: fuit M. Pisoni quaestor in Hispania; post reditum in senatu 21: T. Fadius, qui mihi quaestor fuit, M. Curtius, cuius ego patri quaestor fui; de prov. cons. 42: ut sibi essem legatus; pro Plancio 100: qui fratri meo legatus fuisset; pro Ligario 2: Q . . . Ligarius . . . . legatus in Africam C. Considio profectus est (de hoc loco vide, quid Schoellius dixerit in mus. Rhen. LV p. 490). Alia praeterea huius rei exempla Hermannus Landgraf collegit in Wölfflini archio VIII p. 67. Evanuit autem posterioribus temporibus magis magisque hic usus dativi, ut vix credendum sit *consule* vocem postea mutatam esse in *consuli*. Qua de causa cum et scholia Sangallensia testentur olim scriptum fuisse hoc loco *consuli* et nunc quoque serventur libri hanc lectionem praebentes, eam recipiendam censeo.

Tabula I.

Tabula II.

Vita.

Natus sum Paulus Ernestus Guilelmus Schmiedeberg in vico Brandenburgensi prope Friedebergam oppidum sito, cui nomen est Birkholz, a. 1882 a. d. VI Id. Junias patre Alexandro pastore evangelico, cuius fidem ipse secutus sum, matre Clara (†) e gente Zarnack. Primis litterarum elementis a patre institutus inde ab autumno a. 1894 gymnasium Friedebergense frequentavi, ubi Fredericus Cauer magister adulescentis animum ad antiquitatis studia incitavit. Testimonio maturitatis instructus a. 1900 mense Aprili Gryphiam me contuli, ubi me docuerunt hi viri clarissimi Gercke, Koerte, Kroll philologi, Koegel, Zoeckler theologi. Inde vere a. 1901 Argentoratum transgressus per tria semestria frequentavi scholas horum virorum doctorum: Keil, Michaelis, Neumann, Reitzenstein, Schwartz, Thraemer, Windelband, Ziegler. Anni 1902 mense Octobri almam universitatem Viadrinam Vratislaviensem petii, ubi per quater sex menses me docuerunt hi viri docti: Cichorius, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal, Hoffmann, Kaufmann, Norden, Rosanes, Skutsch, Stern, Zacher. Inde a vere anni 1904 per annum domi moratus sum studiis meis ut operam darem, donec mense Martio huius anni Vratislaviam redii.

Seminari philologici Argentoratensis per tria semestria sodalis fui, per unum senior, seminari philologici Vratislaviensis per duo semestria sodalis, per alterum senior. Praeterea ad exercitationes me admiserunt Cichorius et Kaufmann historicas, Foerster archaeologicas, Koerte metricas, Zacher palaeographicas.

Magistris omnibus, qui meis studiis faverunt, semper gratum me fore profiteor, inprimis autem Francisco Skutsch, qui inde ab illo tempore, quo Argentorato huc adveni, in elaboranda hac dissertatione opera et consilio me adiuvit.

Sententiae controversae.

1. In Ciceronis oratione pro Marcello § 31 retinenda est $\varkappa$ codicum lectio: *perfuncta res publica est misero fatalique bello.*

2. Scribendum est apud Ciceronem in Verr. II 2, 99 *accusatore damnari* reiecta codicis Lagomarsiniani 42 hac lectione *accusatore condemnari*, quae provenit ex eiusdem paragraphi verbis *accusatore condemnat.*

3. Ciceronem ea verba, in quibus tres syllabae breves ultimam praecedunt, ita pronuntiasse, ut accentus caderet in quartam a fine syllabam clausulae metricae demonstrant.

4. Ea verba, quae in scholiis Bobiensibus pag. 255, 22—256, 9 leguntur, cum clausulae metricae regulas omnino neglegant, postea addita esse apparet, neque documento sunt, scholiorum auctorem Christianorum fidei addictum fuisse.

5. Flavius Vegetius Renatus, qui epitomam rei militaris conscripsit, in componendis clausulis syllabarum mensuram non curavit, sed accentus rationem habuit.



